DE

D. GREGORII NAZIANZENI

CARMINIBUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

ERNESTUS DUBEDOUT

LICENTIATUS

PARISIIS

APUD CH. POUSSIELGUE, BIBLIOPOLAM.

VIA VULGO DICTA CASSETTE, 15

1901

DE

D. GREGORII NAZIANZENI

CARMINIBUS

DE

D. GREGORII NAZIANZENI

CARMINIBUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

ERNESTUS DUBEDOUT

LICENTIATUS

PARISIIS

APUD CH. POUSSIELGUE, BIBLIOPOLAM.

VIA VULGO DICTA CASSETTE, 15

—

1901

PRAEFATIO

Nemo tam rudis profecto litterarum aut historiae erit, qui, ineunte quarto post Christum natum saeculo, novum ordinem rerum incepisse nesciat. Christiana enim religio huc usque omni persecutionum genere postquam saevissime oppugnata fuit, victrix demum ac triumphans edicto Mediolanensi evaserat. Martyribus autem doctrinaeque novae defensoribus, qui, sanguine profuso aut eloquentibus in veritate demonstranda orationibus, fidem suam coram praefectis et proconsulibus professi fuerant, eximii doctores primum successerunt, qui dogmata ex Evangelio deducta aut per traditionem accepta plenius explicarent, et lucidiore ratione credentium proponerent mentibus, — deinde duces ac rectores qui tantam undique confluentem multitudinem gubernarent, atque res innumerabilium Ecclesiarum toto orbe terrarum sponte sua consurgentium iuste ac prudenter administrare valerent.

Tunc religio nova viros ubique nacta est, qui, cum ingenii magnitudine, cum pietatis sensu aut fortitudinis constantia oneri sustinendo pares essent. Quia enim sanguine martyrum sata fuit et irrigata, messem illam protulit, qualis nec antea nec fortasse posterius visa est, ita ut aetas illa iure dicatur aurea. Ut Orientem tantum respiciamus, magnifice Ecclesia oratoribus episcopisque floruit, quorum Athanasius, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Amphilochius praestantissimi fuere. Neque poetis etiam laude dignis caruit. Immo et ingenia huius aetatis fervido quodam carmina

condendi studio trahi videntur ; sic in Oriente Synesius Cyrenaïcus, Gregorius Nazianzenus, Ephremus Syrus, atque ex Occidentalibus Hilarius, Damasus, Ambrosius, Paulinus, Prudentius numerantur. Nec mirum ; animus enim christiana religione ardentibus in Deum affectibus impletur, quos iam continere nequit, sed effundere modulatione carminum cogitur ; mens etiam altius naturam humanam intuetur, latior demum cogitationibus campus aperitur. Quare iam ab antiquissimis temporibus preces cantibus, in christianis coetibus, miscebantur. Quorum testis est D. Paulus in epistulis suis (1), cum Christianos hortatur ut psalmis, hymnis, odisque Deum celebrent. Quibus profecto hymnis psalmisque si Davidicos cantus et veteris novique Testamenti cantica nobis intellegere liceat, tamen ex odis nova carmina inter Christianos iam tum exstitisse haud immerito collegamus. Neque de carminibus tantum ex tempore recitatis, ut multa Tertullianus audivit (2), verum etiam de scriptis usuque communi receptis loquor. Nonne etiam Plinius asserit Christianos solitos esse Christo carmen dicere quasi Deo secum invicem (3). Utrum haec verba carmen verum aut formulas exclamationesque modo significent, viri docti etiam nunc disputant. At alia maioris ponderis testimonia accedunt, ut Eusebii psalmos in Iesum Christum a Paulo Samosatensi abolitos referentis, quod carmina nova essent (4). Praesertim vero haeretici hymnos condere solebant, quibus populo modorum suavitate doctrinam pravam instillarent. Christ autem Ariana et Bardesanis et Apollinaris carmina memorat (p. xxi), Naassenorumque psalmum quemdam commentatur ab Origene in Philosuphemis asservatum. Praeterea multos Gnosticorum hymnos alios Origenes exstitisse

(1) *Ephes.* V. 18. — *Corinth.* III, 16.
(2) *Apolog.* 39.
(3) *Epist.* X, 96.
(4) VII, 30, 10.

refert. Quapropter ne errores dulcius inter Christianos serperent, orthodoxi antistites iam a tertio saeculo psalmos plebeios novaque carmina prohibuere, (1) quominus iam in Ecclesia cantarentur, tantumque psalmos Davidicos et cantica ex libris sacris assumpta probavere ; igitur christianis poetis reliquum erat ut more classico carmina conderent (2). Nulla vero alia aetate tantum de versibus scribendis certatum est, quantum illo saeculo quarto fuit. Cuius facile princeps Gregorius erit. Omnes quidem de summo eius in orationibus ingenio consentiunt, cum vim mentis, subtilitatem argumentandi, et eloquentiae splendorem admirari in eis liceat, ac illud inde Theologi cognomen acceperit. Verum poemata quoque ex eodem fonte emanaverunt quo orationes profluxere, immo et propriam indolem Gregorii magis antea latentem patefaciunt, de qua sermonem toto isto libello habebimus.

Atque inter omnes fere viros litterarum peritos convenit maiorem Gregorianorum carminum partem mediocris pretii esse, utpote quae non a soluta oratione satis differant, aliquot tamen altum quid et vere mysticum, proprias quasdam virtutes continere, quibus Gregorius a ceteris decernatur. Nemo tamen ad hanc quaestionem excutiendam attentius diligentiusque aggressus est. Multum quidem eiusmodi carmina non ab amicis tantum aequalibus, verum etiam aetatibus sequentibus, a viris doctissimis, sed maxime apud byzantinos scriptores et melodos (3) aestimata fuere. Sed nullus, ut iterum dicam, ex legibus artis copiose de his iudicavit. Nec utique commentarii desunt, ut Cosmae Hierosolymitani et Nicetae Davidis, in Oriente, quibus selecta Gregorii poemata luculenter adornaverint. Multi etiam in Occidente, postquam Aldus

(1) In concilio Laodicensi an. 374, Can. LXX.

(2) Cf. Christ. *Antologia graeca,* p. XIX. — Batiffol. *Anciennes littér. chrétiennes.* — A. Puech, *Prudence,* p. 75. sqq.

(3) Christ. Proleg. p. XII.

Manutius an. 1504 primus carmina typis excudit, ea edidere, vertere, commentati fuere (1). Verum alii gravius severiusque iudicavere, ut Ullmanius, qui Gregorio, quod carmina sua iam senex condidit, vim poeticam et copiam denegat, illum etiam, quod materiam aridiorem poesique carentem elegerit, reprehendit. Cuius sunt haec verba : « Maior carminum pars longior est, et prolixitate quadam legentis animum defatigat ; non raro tamen locos invenies, qui ex vera animi commotione prodierint, maximamque ad animos afficiendos vim habeant. Haud pauca carmina minora intellegenti iudici probabuntur ; imprimis gnomarum et carminis didactici componendorum peritus est, in quorum nonnullis fingendis omne eum punctum tulisse censebis (2). » Quem propius secuti sunt Hefele (3), Werferus (4) et Alzogius (5).

Alii breviter de poematis exsistimant ; quod si benignius loquuntur, generalius ea tamen laudant, cum vim poeticam declarandam sibi sumunt. Sic Morellius (6), Muratorius (7), Tillemontius (8), ac nuperrime Caillavius (9). Alii vero nimia poetae nostri admiratione capiuntur, ita ut laudes eius immodice augeant. Unus enim ex his, J. Leuvenclavius sic canit :

Rursum Gregorii cum dia poemata vatis
  Pellego, Maeonidae mox abit omnis amor ;
Vilius aes auro velut est, ut cedere plumbum

(1) Vid. infra. de editionibus. Cf. Matth. Schubach, p. 4 et sqq. ; e quo desumpsi aliqua.

(2) Ullman. *Gregor. von Nazianz der Theologe*. Darmstad, 1825, p. 290.

(3) In lexico ecclesiastico Friburgii edito. — Art. *Gregorius von Nazianz.*

(4) Art. *Die Christliche Dichtung.*

(5) *Grundriss der Patrologie,* Freyburg, 1866.

(6) Cf. praefat. edit. oper. Greg. ann. 1609 praemissam.

(7) *Anecdota graeca.* Patavii, 1709.

(8) *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique.* Paris, 1703, t. IX, p. 536.

(9) Tome II, praef., p. 111.

Argento, ut superis inferiora patet,
Gregorius priscos palma sic vicit adempta
Carminibus vates, rhetoras eloquio (1).

Nostra etiam aetate, clarissimus vir et de litteris tum veteribus, tum vernaculis bene meritus, Villemanius noster, cum praeclarissimorum oratorum, qui saeculo quarto in Ecclesia floruerint, scripta recenseret, cumulatius de poeta Gregorio disputavit. Quam vero disputationem exquisito iudicio institutam, postquam poemata orationibus Gregorianis anteposuit, Gregoriumque fidei orientalis poetae cognomine decoravit, hisce verbis non verius, ut opinor, concludit : « In carminibus locum dat splendidissimus orator tenerrimo somniatori ; quis autem vera quaedam quae eis eduntur suspiria non pluris, quam orationes illas, exsistimaverit (2) ? »

Equidem non omnia de Gregorio iudicia recensui ; cetera vero triplici hoc genere includuntur. Hinc videre est neminem adhuc veram perfectamque poetae nostri imaginem expressisse, atque omnes quaestionem potius delibasse quam absolvisse. Ea igitur prima mihi causa est cur eam perscrutandam audacius fortasse susceperim. Altera est quod carmina, etsi nequaquam primaria ingenii Gregoriani documenta dicenda sunt, non minimam partem eius operum efficiunt. Quingenta enim et plura carmina nobis reliquit, in quibus fere viginti millia versuum epicis, elegiacis, iambicis aut anacreonticis metris conscriptorum continentur. Etsi autem res litterariae non numerari sed ponderari solent, nemo tamen nobis succenseat, si tot carmina hic numeremus, cum inde ratio iusta exoriatur, quare studio diligenti digna videantur. Neque enim quis tum dicat se satis ingenium Nazienzeni penetravisse, si

(1) Carmen istud reperias edit. Caillavianae prooemii, p. CLXXIX. J. Leuvencl. + 1593.

(2) *Tableau de l'éloquence chrétienne au IVe siècle*. Paris, 1851. Cf. Schubach, p. 6.

orationes tantum, carmina vero minime parumve cognoscere fateatur ; nec ad excusationem comparandam Gregorium iam senem carmina illa condidisse dixeris. Vestigia enim senilis aetatis aliquot forte deprehendas ; at etiam ex ipsa senectute Gregorium maiorem quamdam animi mollitiem teneritatemque hausisse intellexeris.

Quibus de carminibus duplex quaestio institui potest ; una, loci, sententiae, argumenta quaeruntur, quae dogmatis perfectius cognoscendis aut scripturae sacrae rectius interpretandae aut ecclesiasticis legibus prudentius statuendis inserviant ; at multum iam laborem, multam quoque scientiam viri doctissimi in hac quaestione impenderunt. Sic Petavius (1), ad recensendas de singulis dogmatis sanctorum patrum sententias, haud semel carmina Gregoriana usurpavit. Maurini vero tum ex orationibus tum ex poematis praecipua capita elegerunt, quibus Tollium (2), Barbeyracum (3), Clericum (4) male de Gregorio sentientes confutarent (5). Quos secutus est Ceillerius qui conspicuos Gregorii locos aut historiae doctrinaeque Christianae utiles sapienter etiam congessit (6). Nihil vero de Ullmanio hic addo, qui, etsi orationes in primis excutit, carmina quoque in doctrina Gregorii explicanda adhibet (7). Maxime autem Hergenrotherus, qui curam sententiae Gregorianae de SS. Trinitate exponendae sibi assumpsit, carminibus usus est, in quibus poeta tantum mysterium attingit (8). Quare, ceteris scriptoribus omissis, parum post eruditissimos illos viros superesse dicendum arbitror. Igitur haudquaquam in

(1) *De Trin.* l. I, c. I, VI. Cf. Schubach, p, 6, 41.
(2) c. a. 1650.
(3) Berolini. + 1697.
(4) Amstelodami + 1736.
(5) In praefatione.
(6) *Histoire générale des auteurs sacrés.* Paris, 1738, t. VII.
(7) *Op. cit.*
(8) *Die Lehre von der Göttlichen Dreieinigkeit.*

hac quaestione immoror. Tantum paucos locos, si quos inexploratos inveniam, illustrare pro viribus tentabo.

Altera vero quaestio carmina ex arte aestimat. Quae nostra est. Etenim Gregorius inter veteres et recentiores medius intercessit, vel potius inter paucissimos primus exstitit, qui, aetate illa, versus more antiquo nec iniucunde conscripserint. Inquirenda igitur Gregorii ratio. Aliud etiam gravius. Proprie enim poesim didacticam, satiricam, elegiacam concepit, exemploque novam Christianis poetis viam primus monstravit. Quae causa tertia erit cur tanto operi incumbamus. Utinam singularem illam, propriam, veramque Gregorii imaginem efformare tibis penitus possim ! Quam effingere, iam nunc, Deo iuvante benignisque iudicibus, tanquam onus magnum suscipimus.

CAP. I

§ I

Vita Gregorii describitur.

Nullius profecto poetae magis quam Gregorii vitam inspicere iudici necessarium est, quo plenius altiusque eius ingenium intellegat ; adeo carmina eius cum vita arctissime cohaerent. Nolo tamen eam per singula retexere. Quicumque vero illius gesta omnino cognoscere voluerit, Baronium, Tillemontium, Bollandianos ant Maurinos tantum adeat, qui omnia illa documenta diligenter emendata collegerunt. Nos autem ea tantum hic attingemus, quibus magis poeticum Gregorii ingenium perspiciatur.

Gregorius Nazianzenus in pago cui nomen Arianzus prope Nazianzum in Cappadocia maiori c. a. 326 natus est (1). Regio quidem neque pecoribus abundans neque copia segetum fertilis erat, verum ad caeli naturam intemperantior, montibus aspera, feris obvia. Quantum vero hac condicione locorum ingenium Gregorii moveri aut mutari potuerit non satis apparet, parvique momenti est studiosius hic inquirere. Primum enim opposita observaveris, horridam regionem et laetum ingenium. Deinde in patriam triginta annos natus rediit (c. a. 356), postquam admodum adulescens eam dese-

(1) Tillemont. *Mémoires,* t. IX, p. 692. — Hermant, t. I, p. 35. — Ceillier, t. V, p. 179. — Fessler. *Instit. Patr.,* t. I. — Benoist. *Vie de S. Grég. de Nazianze,* t. I.

ruerat ; ideoque modica vis in ingenium informandum ad loca pertinuit. Demum non ego plane video quid inde certo collegi posset, cum eodem tempore eadem regio aliud omnino ingenium scilicet Basilii Magni pareret. Quod si contra de fide religiosa agatur, tum in ea materia consistendum, siquidem e solo, ut ita dicam, atque in familia cuius radices in eo penitus haerebant, fidem illam hausit, quae ingenio poetico non ad exiguum momentum profuit.

Cappadociae inter primas regiones Evangelii luce illuminari, immo doctrinam novam ex ore ipsius Petri accipere contigit. Cum enim Antiochiae episcopus praesset (1), Asiam minorem totam ad Hellespontum usque transiit, nimirum ut Evangelium praedicaret, perque Cappadociam iter fecit ubi tanta eloquentiae monumenta reliquit, ut in epistula sua prima de Christianis Cappadociae praecipue scriberet (2). Insuper Cappadocia civitatibus nempe Iconio, Lystra, Antiochia Syriae circumdabatur quae vocem illam potentissimam S. Pauli audierant. Non igitur temere iudicaveris verbum sanctum inde in illam regionem etiam evolavisse aut repercussum fuisse.

Nec dubium est quin religio nova mores incolentium altissime imbuerit. Cappadoces quidem apud antiquos infamia flagrabant, ac pessime ubique audiebant. Sic proverbio : τρία Κ κάκιστα, simul cum Caribus Ciliciensibusque lacessebantur. Ineunte etiam saeculo V post Christum, Isidorus Pelusianus in eos vitia omnia congerebat, et qualis haberetur improbissimus gigantium, eos esse, neque ut mancipiis quemquam mente praeditum eis uti exsistimabat (3). Quae, ut opinor, in maius vero ferebantur, aut de una parte tantum Cappadociae, nempe

(1) *Acta Apostolorum,* t. V, junii. — Cf. Benoist. *Vie de S. Grég. de Naz.*, t. I, c. I.
(2) I, *Petri,* I, 1.
(3) Isid. Pelus, lib. I, ep. 281, p. 101 ; ep. 351, p. 125.

montibus proxima, accipienda sunt. Quod ipse fatetur in alia epistola Isidorus : « Altera Cappadociae pars quam optimam vocare licet, ex qua illi exstiterunt qui vitae suae ac praeceptorum luce orbis terrarum finibus praeluxerunt, scilicet Gregorius Basiliusque (1). » Christianam enim pietatem nitido splendore tum viguisse documento est, quod a. 335, cum Hierosolymae templum sub titulo Sancti Sepulcri dedicaretur, episcopi Cappadociae eloquentia et doctrina ante omnes excelluere (2). Nec multo post ita Christiani regionis illius firmiter fidei adhaerebant, ut ipsos episcopos sanam doctrinam servare cogerent (3). Itaque Gregorius patriam his laudibus effert : « illa sacra et apud omnes pietatis gloria clara et illustris est. » Alio etiam loco Cappadociam venerandam suam patriam vocat, nec minus iuvenum quam equorum bonam nutricem (4). Etenim inter provincias Orientales quae praestantes viros Ecclesiae tulerunt, maxime Cappadocia eminuit. Unum enim aut alterum ceterae pepererunt : Aegyptus Athanasium, Syria Eustathium et Melecium, Mesopotamia Jacobum Nisibaeum, insula Cyprus Spiridionem, Antiochia Joannem Chrysostomum ; Cappadocia vero lumina illa quatuor simul edidit, nempe Basilium Caesareensem, Gregorium Nazianzenum, Gregorium alterum Nyssaeum Basilii Magni fratrem, et Amphilochium. Immo etiam praeter illos et in ipsa eorum domo genteque, quot viros ac feminas minus quidem ingenio et scriptis conspicuos, at moribus et sanctimonia admirabiles connumerare possis !

Igitur inter Christianos ortus, Gregorius fidem in regione eam quasi olenti suscepit. At maxime ex parentibus. Patrem enim habuit nomine quoque Gregorium, virum vitae inte-

(1) *Ibid.*, ep. 64, p. 158.
(2) Eusèbe. *Vie de Constantin,* l. IV, c. XLIII.
(3) S. Grég. *Or.* 43, n° 58.
(4) *Or.* 43, n° 3.

gerrimum, diuque sacris paganis addictum, sed aliquando ad Deum verum uxoris precibus conversum (a. 325); matrem vero Nonnam, egregiae pietatis mulierem (1). Quorum studio et cura diligenti primum a teneris unguiculis Gregorii animum magna sacrorum librorum admiratione et Christianae religionis reverentia imbutum fuisse patet (2). Insuper et libros manu diurna nocturnaque versabat, quibus Dei causam defenderet (3). Itaque fides ei recta, plena in Christum amoris atque haereticorum fraudibus intractabilis. Quod ad propositum nostrum spectat, id observare velim, nempe Gregorium iam ab incunabulis Christianum fuisse. Qui enim e deorum cultu, ad doctrinam Christianam amplectendam transivere, eos artem antiquam cum Christiana religione reconciliare tentantes suspicari possis, quod aliquo studio paganarum litterarum impellerentur ; non semel enim earum aliquid redolere opera videntur, utpote qui penitus veram doctrinam satis perspicere nequiverint. Aliud vero dicendum de Gregorio sese ad carmina scribenda conferente ; tantum natura cogit ut poesim religioni Christianae adiungat. Insuper quia fidem rectam habuit a parentibus haereditariam, nihil unquam e fontibus paganis haurire voluit, nunquam alicui errori serviit ; verum semper carmina aliquid mere Christianum resonare voluit. Quanta vero sit eiusmodi laus plane ex eo conieceris quod eam ceteri fere omnes eiusdem aetatis scriptores Synesius, Nonnus, Lactantius, Claudius Marius Victor prorsus attingere nequiverint.

Dein, cum in omni doctrinarum genere excellere Nazianzenus cuperet, iubentibus etiam parentibus, praecipuas Orientis civitates et scholas adiit. Mos enim erat adulescentes

(1) Poem. Hist. *De vita,* v. 51-60, *orat.* 18, p. 5-15.
(2) Lib. II, s. 1, c. I, 424-449, — c. XI, v. 69-92, 194-197, — c. 45, v. 197-201, or. 18, nº 11 ; or. 2, nº 77.
(3) *De vita,* v. 99.

Christianos in ludis magistros etiam paganos audire, consentiebantque plerique episcopi. Scilicet pagani optimarum artium rationem laudemque retinebant. Christianae enim religioni huc usque aut omni persecutionum genere oppugnatae aut haereticorum fraudibus implicatae diu satis fuit, ut sanguine profuso vel eloquentibus in veritate explicanda demonstrandaque orationibus fidem sanctam profiteretur. Postquam vero insignem de hostibus victoriam retulit, hoc est saeculo quarto, tum maxime de pueris educandis quaestio fuit, et praeclarissimi ingenio homines de religione litteris exornanda cogitarunt. Itaque ad scholas etiam paganas sese contulere. Ceterum non incommoda tantum ex illa consuetudine exoriebantur. Profecto periculum erat ne fides detrimentum caperet. Verum saepius vires acquirebat, ut evenire solet, cum oppositae sententiae sive religiones prope ac in eodem loco versari coguntur; alia alia invalescit.

Igitur Gregorius primum Caesaream in Cappadocia petiit, quam vocat illustrem civitatem suorum studiorum ducem et magistram, litteris ceterarum urbium caput et dominam (1). Quam laudem etiam illi civitati Eusebius tribuit (2). Ibi adulescens cum fratre Caesario et amico Basilio rhetoricae arti, duce Amphilochio (3), feliciter studuit. Inde Caesaream Palestinae proficiscitur, ubi scholae florentissimae erant, quarum praeclarissimi magistri, nimirum Origenes primum, deinde Pamphylius, Eusebius, atque, Gregorii aetate, Thesperius (4), adulescentes ad omnes artes instituebant. Postea, tempore quidem incerto, Alexandriam adiit, urbem etiam scholis in orbe terrarum illustrissimam, cui viri doctissimi sapientissimique gloriae maximae fuere, nimirum Clemens, Origenes,

(1) *Or.* in Basilium, n° 13.
(2) *In vita Constantini*, lib. 4, c. 43. Cf. S. Bas., *epist.* 74, n° 73, et *ep.* 76.
(3) Pater fuit Amphilochii Iconiensis.
(4) S. Hieron. (Catalogus de scriptoribus ecclesiasticis, n° 113).

Philo, Plotinus, aliique doctrina excellentes, quorum saeculo quarto Didymus facile princeps erat. Ibi etiam Gregorius eloquentiae incubuit. Demum itinere maritimo, periculis procellarum vitatis, Athenas (c. a. 350) appulit (1), ubi, quasi in proprio litterarum et poesis domicilio, veterum scriptorum sed in primis Homeri, Sophoclis, Euripidis et Platonis lectioni et cotidianae meditationi totum sese dedidit, Himerio et Prohaeresio magistris (2). Sic ipsi diversis Orientis doctrinis institui, variosque morum cultus cognoscere contigit. Sic etiam quasi sanguinem ac litterarum graecarum medullam in carminibus exprimere potuit. Frustra enim illarum oblivisci aliquando tentavit, aut antiquos scriptores versare manu cessavit (3), aut etiam libros ipsos amittere voluit (4); semper tamen studio optimarum artium flagravit. Quare, studiis illis iuvantibus, iudicio exquisito, limato et elegantissimo in rebus Christianis exprimendis usus est, quae quidem callida coniunctio nota fuit ingenii singularis.

Postquam divitiarum graecarum potitus est, cum iam nihil Athenis ediscendum superesset, ex urbe Gregorius (c. a. 356) discessit atque in patriam rediit, ubi, baptismo suscepto, votoque antea iam edito sese Deo consecravit (5), atque vitam in solitudine agendi studio indulgere potuit. Primum, suadentibus amicis, Arianzi apud Nazianzum remansit, ut simul parentum senectutem foveret (6). Deinde, alliciente Basilio, in Pontum secessit (a. 358, vel 359), ut cum praeclarissimo illo socio operibus sanctis et divinis scripturis legendis libere vacaret. Haud multo post tamen (c. a. 360), relicto Basilio,

(1) *De vita,* 121-211, lib. II s. I. c. I v., 307-321; v. 322-338.
(2) Benoit. *Vie de S. Grégoire,* t. I, c. V.
(3) *Pat. graec.* t. XXXVII, col. 974, 1318.
(4) Ep. XXXI.
(5) II s. I, c. I, v. 63-102. — C. II. — *De vita*, n° 1164. — *Or.* 24, n° 3; *or.* 4, n° 100; *or.* 6, n° 5; *or.* 2, n° 77.
(6) *De vita*, 277-319; II, s. I, c. I, v. 135-164. — *Or.* 43, n° 25; *or.* 7, n° 9.

in paternam domum iterum venit (1), pietate in parentes iam senio confectos motus, atque, mea quidem sententia, ut patrem, cui, arianis fraudibus decepto, formulae Ariminensi (2) qua doctrina sana de Filio Deo nebulis obtegebatur, subscribere, salva tamen conscientia, accidit, e laqueis haereticorum eriperet. Quibus feliciter compositis, duobus post annis, invitus licet et repugnans, patri tamen morem gerens, populique votis cedens, sacerdos creatus est (a. 361). Verum vi tanta et quasi tyrannide graviter commotus, in Pontum vix consecratus apud Basilium confugit, ut solatium acciperet et optimam agendi rationem sibi elegeret. Mox inde Nazianzum rediit (a. 362), ubi, ante populum orationes duas habuit, quibus se omni crimine purgaret (3). Aliquot post annis, mortuo Caesario fratre (a. 369), Gregorius asperrimas molestias tulit, nimirum, ut res domesticas iuxta voluntatem fraternam disponeret (4). Neque alias gravissimas vitare curas potuit. Cappadocia enim in duas partes divisa, cum Anthymius, Tyanensis episcopus, e potestate Basilii exire conaretur, tum vir Caesareensis ob dissidia vitanda, Gregorium amicum, iuvante etiam patre, coegit, ut Ecclesiam Sasimensem, in oppidulo arido inamaenoque sibi regendam et administrandam assumeret. Primum Gregorius in solitudinem fugit ; deinde, post reditum, invitus ad dignitatem episcopalem provehitur ; sed Ecclesiae praeesse acriter renuit (5). Immo amici nunquam eiusmodi consilium probare aut quovis longioris temporis spatio remittere potuit, quia, inde quasi a quodam amaritudinis fonte, cunctas quae

(1) II s. I, c. I v. 275-303 – C.XXXIV,V. 153-174. — C.XLV, 121-161-277-312 ; or. 2, nº 6, 7 ; or. 2, nº 103. — Ep. 115.

(2) Sic Fessler, cui assentior ; at contra, Benoist, t. I, p. 179.

(3) *Orat.* (I brevis). III, II, *Apologetica.* — *De vita*, 337-64.

(4) *Or.* 7. — *Epist.* VI-XXI. — *De vita*, 365-385. II, s. I, c. I, v. 165-234.

(5) Num jure, decidere nolo, cum res utriusque non satis appareat. Gregorium tamen nimis humane sentientem fortasse prudentius, Basilium vero altiora quaerentem rectius etsi gravius egisse dixerim.

postea secutae fuerunt calamitates deductas sibi fuisse exsistimabat. Postea vero Nazianzi patris adiutorem in Ecclesia gubernanda sese praebuit, postque mortem senis (a. 374), eadem cura ad exiguum tempus habita, clam civitatem subito reliquit (a. 375), seque Seleuciam Isauriae contulit, ubi morbo graviter decubuit (a. 379). Magnum etiam de morte Basilii eodem tempore dolorem concepit, qui vere dimidium animi fuit. Nec satis; mox enim Constantinopolim, consilio multorum probante, ob res catholicas adversus Arianos restituendas profectus, cum iam omnia prospere cederent, pace regnante, Maximus, philosophus cynicus, atram tempestatem excitavit (1). Ne multa, post temporum varietates fortunaeque vicissitudines, quas hic retexere fastidiosum esset, « parvo pretio venales episcopi », post nocturnam tumultuariamque electionem, Maximum istum Ecclesiae Constantinopolitanae praefecerunt, cui iampridem Gregorius praeerat. Quare tanto facinore perculsus, ex urbe discessisset, nisi populi precibus consilio destitisset. At in coetu Episcoporum Orientalium habito, tanta fuit adversus Gregorium propter Ecclesiam Antiochenam reluctatio (2), ut dolore oppressus morboque etiam correptus, sese dignitate abdicaverit (a. 381). Iam tunc, post alias rerum varietates in solitudinem secessit, ubi vitam piam ad mortem usque duxit (a. 389, v. 390).

Profecto singula de vita Gregorii persequi nolui; multa etiam omisi; ea tantum, fortasse brevius, retinui, quibus veram sinceramque eius animi imaginem exprimere possem; at maxime in molestiis quas perpessus est consistere placuit, quia ex eis aliquid in ingenium poeticum redundasse mihi videtur. Naturam enim Gregorii e supra dictis mutabilem volubilemque fuisse certissime patet. Vir enim constans minime fuit et propositi tenax, quem parentum preces aut

(1) Vid. inf., p. 69.
(2) Vid. inf., p. 66.

amicorum dimovere nequirent ; sed aliis vel invitus potius cedere quam obsistere consuevit. Sic a patre sacerdotium lacrimis animoque abhorrente accepit ; sic etiam eum repugnantem Basilius Sasimis, in ignobili Cappadociae oppidulo, episcopum praefecit ; non semel et eum in concilia episcopi inter se dissentientes abduxerunt, ubi utrarumque partium ob animi candorem in praedam semper fere cessit. Quam voluntatem debilem maerens ipse carpit, nec unquam deponere aut corrigere potuit. Inde viro illo pacatissimo sanctissimoque aerumnae sexcentae, invidiarum turba et inimicitiarum. Sed tamen ingenium vere poeticum mobilitas illa significat, malaque eiusmodi omnia dolorem profecto animi sed etiam vim ingenii excitarunt.

Deinde etiam eum solitudinis amantem, magisque meditationi contemplationive quam rebus agendis aptiorem profecto deprehenderis, aut, si iuvat, multa de ardentissimo illo studio in operibus recognoscere tibi licet (1). Attamen, imperante rerum necessitate, inter negotia implicari ac summis muneribus fungi debuit, quibus administrandis non ingenio quidem aut virtute, sed natura corporisque viribus impar erat. Hinc animus distractus dilaceratusque fuit, hinc pugna intestina ; at simul, vi sentiendi exacerbata, ex vulneribus nova quaedam poesis cum sanguine orta est, scilicet elegiaca, cuius propria indoles fuit in summa quadam animi maestitia posita.

§ II

Quonam tempore carmina Gregoriana condita fuerint.

Maxime interest, si in universum loquamur, tempus definire, quo carmina poetae alicuius scripta fuerint. Sic enim melius

(1) *De vita*, v. 217-319, col. 1043-1051. — II, 1, c. I, v. 450-457, col. 1003. — *Patr. graec.*, t. XXXV, col. 413, *ep.* V, VI.

deprehenderis utrum doctrina eius an ingenium vires eundo auxerit. Quod in Gregorio explorare difficile erit, quia poemata eius aetate senili conscripta sunt, scilicet, cum iam omnia huiusmodi adolevissent aut decrescere coepissent. Inde tamen carmina magis intellegere fas erit, nimirum causas reperire cur hanc aut illam materiam, haec aut illa argumenta evolvenda elegerit, atque etiam novas forte virtutes admirari.

Illud profecto singulare ac mirum videri debet, partem carminum longe maximam a Gregorio cum iam fere senex esset, nimirum a quinquagesimo anno condita fuisse. Quod quidem commune habuit cum praeclarissimis aliis huius aetatis scriptoribus, e g. Synesio, Ambrosio et Prudentio, qui non iuventute florente, verum ad maturam iam aetatem progressi versibus scribendis incubuere. Ipse vero Gregorius, propter vitae labores et certamina, nunquam satis in otium sese recepit, ut carminibus operam daret. Quod si aliquo modo desiderandum, hanc tamen utilitatem habuit, ut eum ab inani et affectata rhetorum arte servaret, quanquam vestigia aliquot illius artis pessimae interdum observare poteris. At saepius, omissa quidem religione, ob illam vitae consuetudinem, versibus aliquid grave, aliquid non fictum aut nugatorium, verosque animi sensus infundere valuit.

Igitur ab a. 381, cum, sede Constantinopolitana abdicata, sese Arianzum contulit, ad annum 389 vel 390, quo pie obiit, pleraque poemata scripsit. Pauca tantum antea condidit (1). Sic carmen egregium « de rebus suis » (II, 1. c. I). Ibi enim postquam suam ipsius sortem miseratus est, mortem Caesarii fratris mollissimis verbis luget, qui, ineunte anno 369, morbo subito ereptus est. Ibi etiam de molestiis queritur, quas ob opes fraternas perferre cogitur, quaeque, eo tum scribente, nondum cessaverant. Etsi omnibus disponendis sat longum

(1) Vid. append. A.

tempus effluxit, tamen, ob acerbitatem desiderii et querelarum, non multo post Caesarii mortem carmen scriptum fuisse censeam, sed profecto ante a. 374, cum eiusmodi negotia se cum patre sustinuisse declaret (1). Illud igitur a. 372 vel a. 373 adscribere licet. Deinde, anno etiam 372, Gregorius ad Hellenium quemdam, cui anno illo munus erat tributorum imponendorum, et anno sequenti, ad Iulianum, cui eadem cura fuit, epistulas duas misit (II, 2 c. I, II), quibus eos rogaret ne gravius sive monachos sive pauperes Nazianzenos premerent. Caillavus vero, nescio qua ratione inductus, carmen XLV (II, 1) anno 383 scriptum fuisse asserit. At Gregorius parentes ut vivos ibi memorat ; patrem enim in medium ponit, « olim procul a magno stantem ovili, cujus *nunc* magnum tenet gubernaculum.... ex ovibus pastor, *nunc* vero pater, et pastorum pastor » (2) (215-218). Igitur ante mortem eius, hoc est ante a. 374, carmen conditum fuisse patet ; nec diu ante, ut opinor, cum Deum sub finem precetur ut « senium et canum caput servet » (v. 344). Etiam viri docti carmen ad Vitalinum in annum 374 aut profecto 375 coniiciunt, in quo Gregorius patrem filiis placare nititur. Eximium vero carmen IX « de virtute » (I, s. 2.), Gregorius, cum adhuc Ecclesiae Constantinopolitanae praeficeretur, composuisse videtur. Etenim sese sublimi throno sedentem in poemate praebet et plebem sacrificiis ad caelos ducentem (v. 148-150). Quod idem de carmine XIII (II. s. 1.) dicas ; tum enim id conscripsit cum urbem adhuc regeret, ibique concilium ab episcopis orientalibus haberetur. Quibus, propter Melecium Paulinumque de Ecclesia Antiochena certantes, dissentientibus ac de recta via deflectentibus, tum Gregorius de concilio discessit, ac, dolore commotus, domi

(1) *De vita,* 378-380, col. 1055.

(2) ἧς μέγα νῦν κρατέει
. . . . , ἐξ οἴων τε
Ποιμὴν, νῦν δὲ πατήρ . . . . . (Édit. Mign., col. 1368).

versus carminis XIII conscripsit. Itaque Fessellius erravit, cum Gregorium eos condidisse, postquam iam Nazianzi otium ac solitudinem nactus erat, asserit. Audi enim poetae verba : « Etiamsi malum me atque exitiosum virum omnes simul exsistimetis (θείητε), longeque a choro vestro removeatis (διόισθε) ». (v. 14-16). Ergo nondum omnino remotus fuit neque Constantinopoli discessit. Haec etiam adde : « Ego vero quaero arcam Noe (Nazianzum)..... fugiam postea, procul ab improbis manens (206-207) (1). » Igitur nondum effugit, cum versus scriberet, seque tantum abcessurum minatur, « si canitiem iuvenum audacia superet, aut graculorum nubes sinistrum quid insipientia sua crocitet » (199-200).

Sed his aut perpaucis aliis exceptis, omnia carmina ab anno 381, ut iam diximus, exarata, sunt, sed ea maxime, hoc ipso anno, quae ad res suas pertinent. Sic poemata IV-XVIII Nazianzi scripsit, cum sive Ecclesiae suae, sive episcoporum invidiae acerbo dolore recordaretur. Ex tristitia enim aut acerbitate dicendi iniuriam adhuc recentem vulnusque nimis cruentum merito coniicias. Sed in primis carmen « De vita sua » haud multo post discessum composuit ; famae enim suae consulendum erat adversus rumores quos aemuli inimicique spargebant. Nulla igitur mora magna fuit. Quod etiam de carmine XII « de se ipso ac de episcopis » dixeris, ubi iam narratis alia novaque addit, nempe malorum, quae ipsi acciderant, causas et remedia, ita ut poema unum quasi opus cum carmine XI efficere videatur. Quod si a me repetas quid in eiusmodi poematis proprium ac insigne inveniam, aliquid miserabile simul et acritatem quamdam, pugnacem ac bellatorium stylum iudicarim.

Alia vero poemata XIX-XXXIX, ubi Gregorius preces et querelas tono iam mitiori effundit, in annum sequentem remit-

(1) Αὐτὰρ ἔπειτα φύγοιμι, κακῶν ἀπὸ τηλόθι μίμνων.

tam. Etsi enim doloris aculeo non adeo pungitur, aliquid tamen manet alta mente repostum. Inde breve tempus effluxisse collego, quod iracundiam molestiasque leniverit nec tamen omnino exstinxerit. Necdum tamen omnes procellas effugerat, nec in patria quietem optatam invenit. Ecclesiae enim Nazianzenae pastore iampridem destitutae, episcopum praeficere frustra diuque tentavit. Quare ab haereticis, scilicet ab Eunomianis et Apollinaristis vexabatur, Gregoriusque maestissimo animo dolet (c. XXX). Sed illud tantum hic notari volo, nempe ex illo poemate tempus coniici posse, quo dogmatica carmina condita fuerint. Ibi enim queritur quod Nazianzus ab Apollinaristis infestatur. At eodem tempore, seu a. 382, Gregorius, qui tunc Arianzi versabatur, praeclarissimas duas epistulas Cledenio misit, ut pravas doctrinas comprimeret, quarum altera haec verba continet : « Quod si prolixi libri et nova psalteria, Davidique contrarium sonum edentia, et carminum lepos pro tertio quodam testamento habentur, nos quoque psalmos condemus et multa conscribemus et versibus complectemur. » Profecto dubium nullum esse potest quin de carminibus dogmaticis scribendis hic cogitet, cum in illis errores praecipue Apollinaristarum conterat. Neque maius de tempore dubium erit. Cum enim malum ubique iam grassaretur, cumque Apollinaristae ut sibi animos conciliarent, suamque doctrinam facilius insinuarent, versus scriberent (a. 378-382), (1) quibus iuvenes maxime suavitate carminum illecti in errorem traherentur, Gregorius malo remedium quam citissime afferre ac ipse hoc anno 382 versus condere debuit. Haec fuere primum carmina dogmatica, ubi pravam doctrinam haereticorum confutat. Eventu vero ad spem procedente, studiumque legentium secutus, Gregorius

(1) Cf. Dräseke. *In der Zeitschr. f. wiss.* Theol. XXXI, s. 477-487 et A. Lüdwich. *Ibid.;* Theol. XXXII, s. 108-120.

carmina etiam moralia scripsit, ita ut omnem veritatum Christianarum varietatem complecteretur. Res enim ita se habuisse ex carmine XXXIV (II s. 1) aperte comprobatur. Cum, toto quadragesimae tempore anni 382, silentii legem sibi praescriptam strictissime servavisset, cumque multi mirarentur, carmen « in silentium ieiunii » composuit, quo vitae suae rationem dedit. Ibi vero haec legere est : « Canto summum regem Deum et splendidae in unum colligatae fulgorem meae Trinitatis.... Canto etiam mundi concentum ... Cano Christi passionum gloriam immortalem... Cano mixturam meam... Canto hominibus legem Dei, et omnia mundi facinora, et consilia, et finem rei utriusque, ut alia condas in tuis praecordiis, ab aliis autem longe fugias, et timeas diem adventantem.... » Quibus profecto verbis, ea omnia se iam cantavisse vel eo ipso tempore cantare significat. Quod etiam ex carmine XXXIX « in suos versus » tibi confirmare poteris, in quo luculenter declarat qua ratione sese ad versus scribendos contulerit, Apollinaristisque respondere videtur (1-32), qui ingenio invidentes (68-82, 90-103) errorique servientes, aegre iuvenes ad pietatem informari et a malo versibus Gregorii servari ferebant. Unde probabiliter efficitur, quod iam scripsisset aut tum etiam a. 382 poemata scriberet, de quibus nunc agamus.

Reliqua vero carmina XLII-XCIX post annum 383 ad mortem usque exaravit. Non enim iam inimicos increpat, neque in malos episcopos invehitur, aut etiam Ecclesiarum curam habet. Tantum de malis animi aut de morbo aut de daemonum vexationibus queritur. Seniles questus merito dicas, cum cogitatio in se ipsa vertitur, poetaque propriis tantum doloribus movetur, eos auget, saepius eadem canit, aut in cogitatione mortis defixus ad Deum sollicita mente confugit. Tria tamen vel quatuor poemata « ad alios » velim excipias, quae ut scriberet Gregorium tempora impulere, neque parva

laude digna mihi videntur. Sic primum epistulam Nicobuli filii ad patrem; quam sub illius persona Gregorius scripsit, ut a patre litteris in celebri quadam academia studendi facultatem obtineret. Nicobulus autem iunior Eudoxium Constantinopoli c. a. 383 audiit, ut opinor. Nec enim prius eum audire potuit. Nam primum Tyanam profectus, ut scribendi edisceret artem, Theodoro, a. 381 exeunte aut 382 ineunte, huius urbis episcopo commendatur. Deinde Caesaream Cappadociae missus est, ac demum Constantinopolim, vivo ac iubente patre. Cum iste a. 385 mortuus fuerit, Nicobulum quidem a. 384 Eudoxium audiisse, Gregorium vero epistulam a. 383 scripsisse arbitror, quam proinde citoque epistula patris secuta est. Carmen vero illud pulcherrimum ad Nemesium, aut a. 384 exeunte, aut a. 385, scriptum censeam. Nemesius enim praefectus Cappadociae erat, cum Gregorius senectute et morbo maxime gravaretur (v. 37-39, 306-312, 315). Unde eum intellegas oportet tardius condidisse; neque tamen post annum 386, cum in epistula CC (a. 386) Nemesium admoneat « καὶ γάρ τινα καὶ χρεωστεῖς ἡμῖν συνουσίαν ἐξ ὑποσχήσεως περὶ τοῦ λόγου τοῦ καθ' ἡμᾶς, ἥν πως ἀτελῆ κατέλιπες, » cui scilicet ipse primum carmine illo favisset.

Igitur ex dictis Gregorium primum aliquot « ad alios » poemata, deinde a. 381 magnam historicorum partem, postea vero, a. 382, sive dogmatica sive moralia, tandem alteram historicorum partem post annum 383 conscripsisse sat probabiliter concludere mecum tibi licet. Quo probato, illud natura consequitur ut Maurini editores poemata suum quaeque in annum minime retulerint, sed tantum ex dignitate rerum ea disposuerint, scilicet primum de Deo, deinde de mundo animoque, demum de rebus poetae vel ad alios carmina. Ordo tamen eiusmodi a veritate temporum dissentit.

Quod si iam nunc aliquid tibi sumere velis, quo ingenium Gregorianum generaliter penetres, illum nullas quidem vir-

tutes novas carminibus manifestasse, maiorem tantum vim sentiendi aut in adversarios exacerbatam aut sui ipsius miseratione permotam ostentasse iudices. Aliquid etiam proprium ac singulare in poematis a. 381-382 conditis, venam vero ieiunam in ceteris senilibus deprehendas. At ea fortasse mihi uberius infra explicare continget.

§ III

De textu atque editionibus Carminum.

Quod ad textum attinet, exemplar praestantissimum ante annum 886 exaratum fuisse traditur, quo anno scilicet obiit Basilius imperator. Huiusmodi codex Regius, olim numero 1809, nunc n. 510, in praefatione generali Benedictinorum describitur (nº 27); cuius antiquitas tanta est ut Billius eum ipsius Gregorii aetate scriptum esse iudicaverit. Saeculo etiam nono, Nicetas David, Dabridensis episcopus, in Paphlagonia, commentarium in selecta carmina scripsit, cuius partem primus edidit Dav. Hoeschelius, Lugduni Batavorum, a. 1591, reliquumque Ernestus Dronke, Goottingae 1840. De quo hic tantum loquimur, quia poemata aliquot continet, ideoque antiquum nobis textum praebet. Quo quidem traduntur codex Cusanus s. XI conscriptus fuit.

Editores vero alii plura, alii pauciora carmina, alii graece, alii latine, alii graece et latine. Ut de graecis editionibus primum aliquid dicamus et minores omittamus, locupletior est quae vulgata fuit editio operum Gregorii Naz., scilicet Basileae, 1558, sumptibus Joannis Hervagii, quae non orationum modo partem maximam, verum etiam LXXX epistulas et permulta carmina continebat. Quam secuta est editio Ioannis Sambuci studio comparata et Antuerpiae in lucem a Plantino emissa

1568 (in-8). Neque selecta carmina ab Hieronymo Brunello s. j (1590) edita silentio praeteream. Quod si de editionibus latinis sermo erit, mentionem primum faciemus de carminibus D. Gregorii, ad bene beateque vivendum utilissimis, ex editione latina Aldi Manutii Romani et Petri Candidi Monachi, 1504, Venetiis. Sed et aliam maiori cura Leuvenklaius, anno 1571, ex codice quodam Basileam, tempore concilii Basileensis, allato elaboravit, quam editionem in tres tomos distribuit, quorum tertius poemata complectitur. Longum esset ire per singulas editiones latinas. Hae praecipuae sunt. Aliquid iam de graeco-latinis perstringimus.

Sic praeter Gregorii Nazianzeni carmina e graeco in latinum conversa ab Aldo Manutio, de quo supra, in primis nobis occurrunt D. Gregorii Nazianzeni carmina cygnea inedita, quae in libro continentur, cui titulus : Jacobi Tollii *insignia itineris Italici : trajecti ad Rhenum* (a. 1696). Deinde anno 1709 carmina sive epigrammata CCXXVIII S. Gregorii Nazianzeni, Patavii, inter anecdota graeca quae Muratorius in publicum protulit.

Gallicanas vero inter editiones eminet Billii quae primum a. 1609, deinde a 1630 in lucem prodiit. Billius, quanquam plures habuit codices, plerumque tamen Aldum sequitur. Optima autem nobis est celebranda Maurinorum editio, quae Parisiis a. 1778 a D. Clemencet emissa fuit, orationesque tantum in primo volumine complectebatur. Codicum vero quibus doctissimi illi viri in operibus D. Gregorii Naz. emendandis usi fuerint, tibi, si placet, catalogum in praefatione legere licet. Post tristem violentamque procellam quae, saeculo proxime elapso (1), res civiles religiosasque disturbavit, media fere aetate sequenti (a. 1840), D. Caillavus (Caillau) epistulas CCXLIII et poemata omnia edenda curavit, ac demum cuncta

(1) Lege, s. XVIII elabente.

Migneus (Migne) 1857-1858 diligentissime recognovit. Ne multa, inter gallicanas editiones primum Maurinorum, deinde Caillavi, ac demum Migneana bona esse mihi videtur, optima desiderata. Quos igitur duces sapientissimos habemus. Neque hic Christ praetermittam qui aliquot carmina accuratissime collata in *Anthologia graeca carminum Christianorum,* Lipsiae 1871, edidit; neque Ernestum Dronke, qui commentario Nicetae selecta quaedam carmina addit, quae reperiantur in codice Gudiano graeco 97. Atque subsidia quibus in textu constituendo usus est, haec sunt : editio Aldi qui primus maximam carminum partem edidit a. 1504; Nicetae paraphrasis, edita Venitiis a. 1563, denique Gregorii opera a Billio commentata. Igitur etsi textus omnium carminun iuxta leges iustae scientiae nondum constitutus fuit, tamen nullum pretium editioni Benedictinorum a Migneo recognitae, aut ceterorum editorum minorum, non deest, ut opinor. Quapropter eorum textu niti, tanquam fundamento gravi, possumus, qui litterarium, ut ita dicam, iudicium proferamus (1).

Pauca nunc de commentariis, scoliis versionibusque. Ang. Maï primus commentarios Cosmae Hierosolymitani in codice Vaticano repertos edidit, quos deinde Maurini Migneusque carminibus Gregorianis subtexuerunt (2). Vixit quidem Cosmas ille octavo saeculo, fraterque adoptivus S. Ioannis Damasceni fuit et contubernalis (3). Triplicem vero in prooemio ait se operis partem moliri : primam de sacris profanisque historiis, alteram de physicis rebus, tertiam denique de didascaliis ad grammaticam aut rethoricam pertinentibus; quae tertia pars desideratur. Magni autem eiusmodi commentarios Ang. Maï

(1) Ceterum de editionibus ; — Cf. Ceillier, t. VII, ch. I, art. VII, nos 2-4, p. 302-4 ; — I. A. Fabricii. *Bibliothec. Graec,* vol. VIII, p. 392-403 ; — Hoffmann. *Lexicon bibliog.* Lipsiae, 1832, t II, p. 311-21.

(2) T. XXXVIII, col. 341 seqq.

(3) Cf. *Vita S. Ioannis Damasceni* a Ioanne biographo ap. Lequinium, t. I, p. V seqq.

facit (1), nec immerito; siquidem Cosmas Hierosolymitanus omnium disciplinarum studiis excelluit, immo et melodus suavissimus habebatur (2). Itaque ex eius interpretatione non exiguum fructum eruditis viris carpere licet.

Nec omittendi commentarii quos Nicetas David, episcopus Dadybrae in Paphlagonia, saeculo nono, in carmina Nazianzena XV abstrusiora, nec non et in ἀπόρρητα VIII scripsit, de quo egit Martinus Hankius in libro de *Byzantinarum rerum scriptoribus* (c. 16, p. 258, seqq). Unam quidem ex libro manuscripto bibliothecae Augustanae graecam metaphrasim in sex carmina ἀπόρρητα edidit David. Haeschelius, Lugduni Batavorum a. 1591. Reliquam vero Ernestus Dronke, cui copia fuit codicem Cusanum (scriptum s. XI vel XII) legendi, paraphrasim Nicetae Davidis in carmina XV, praeter ἀπόρρητα, typis describendam curavit a. 1840 (3). Quam etiam in editione Migneana reperias (4), ubi aliqua utilitate hanc interpretationem legimus. Saeculis vero decurrentibus, sed praesertim aetate quinta decima, plurimum operis ingeniique in doctrina carminum declaranda viri doctrissimi impenderunt. Iam supra Petavium, PP. Maurinos, R. Ceillerium, Hergenroetherum memoravi, qui curam in poematis indagandis magnam laboremque collocavere, Nazianzenamque doctrinam explicarunt (5). Quos mihi parum profuisse fateor, cum alia quaestio, scilicet poetica, mecum praecipue ageretur.

Cetera, quemadmodum in notis varias textus lectiones ex probatissimis codicibus extractas (6), ita quidquid illorum scriptorum aut Billii scholia continent optimum, id Maurini ad inferiorem paginarum marginem passim congessere, ut

(1) In praefatione. *Spicil. Rom.* II, XV.
(2) Ita *Suidas* cit. ab. Aug. Maï in praef.
(3) *S. Gregorii Nazianzeni Carmina selecta.* Gottingae, 1840.
(4) T. XXXVIII, col. 685 seqq.
(5) p. 6.
(6) Quorum vid. notitiam, t. XXXVIII, p. 18.

nihil fere in eorum editione, pro scientia iam constituta, desiderandum maneat. Quod si de versionibus sermo erit, Billii versionem metricam melius, Leuvenclaii Morellique minus, neutram vero optime sensum vimque Gregorianorum carminum poeticam reddere, utramque demum arte carere merito iudicaris. Itaque Benedictini versiones priores emendavere, sed et aliam interpretationem soluto sermone felicius transtulere, qua, occasione data, uti possis. Ne plura, illis opibus muniti, cum praesertim, ut iam dixi, de quaestione maxime litteraria agatur, labori nostro tuta satis mente incumbimus.

CAP. II

Qualem sibi Gregorius speciem formamque poesis effinxerit.

Num Gregorius de industria ac consulto genus novum poesis, scilicet Christianae, instaurare sibi proposuerit, iam quaerere tempus est. Dubia quidem res videbitur, si de tanto consilio suscepto aliquid clarius expressum quaesieris. Quare autem tacuerit, equidem multis explicare rationibus possem. Multae enim causae obstabant quin huiusmodi institutum tam dilucida mente conciperetur aut mente conceptum scripto mandaretur. Quicumque enim indolem viri aut tempora pensitabit, is eo non commovebitur, quod Gregorius de re illa obscure locutus fuerit. Primum quidem tot ac tantis negotiis implicabatur, ut vix per tempus carmina condere, per dignitatem vero minime liceret. Quod ipsius e responsis excusationibusque intellegas, cum amici aut detrectatores unanimi fere consensu poeticum eius laborem criminarentur. « Cur, aiebat, versuum suavitate nugas (vel res malas) poeta quilibet condierit ; magnas autem et praestantissimas non poterit ? Iam vero quare nulla erit poetae vera quemadmodum et falsa canendi licentia ? » Neque levis tantum et ludicra, sed periculosa maxime priscis Christianis habita poesis fuit, ideoque optimorum iudicum suspicionibus exposita. Quo enim pacto integrae fidei iura cum lascivientium poetarum temeritate conciliari possent, tunc temporis haudquaquam perspiciebant. Ad haec mos accedebat quem haeretici iam pridem invexerant, errores suos per cantilenas seu carmina disseminandi, et plebeculae auribus mentibusque instillandi. Quibus

artibus Gnostici Arianique multorum animos corruperant, et magni illius Athanasii famam aspergere calumniis aut conatus frangere moliti erant. Insuper et nonnulli verebantur, ne Christiani, ob illecebras poesis, veterum libris legendis plus aequo incumberent, itaque sacrarum litterarum nudam simplicitatem forte despicerent. Ideo Gregorius prudenter ac nonnisi verbis obscuris doctrinam poeticam suam explicavit. Necdum etiam usus praevaluerat, qui nostra aetate viget, longiusculum libello suo prologum praefigendi, in quo tum auctoris ingenium, tum operis novitas, necessitas aut momentum lectoribus commendentur.

Quibus verbis non infitior me tantum interpretari causas cur sententiam suam Gregorius obscure expresserit, minime vero eum sibi formam novae poesis effinxisse. Quanquam et ipse rationes aperuit, quibus ad versus scribendos commotus fuerit. Primum se carminibus canendis operam dedisse dicit, ut intemperantiam quamdam in scribendo coerceret. Altera vero ratio fuit ut iuvenibus carmina offerret, quibus ad amorem Dei allicerentur ; tertia autem, aemulatio quaedam gentilium poetarum, ne scilicet « infideles maiorem vim dicendi quam nos habere concederem » (1). Quarta demum in epistula ad Cledonium ponitur, ubi Gregorius sese Apollinaristis in carminibus condendis obstiturum promittit. At de consilio novi generis sucepto frustra, ut dixi, aliquid clarius expressum quaesieris. Nobis tamen quae passim scripserit conquirentibus, mens eius aliquo modo perspicere licet.

Primo quidem constat sermonem veterum rationemque, ut aiunt, classicam, a Gregorio vindicari, qua religio Christiana melius adiuvaretur. Quod profecto iam ex ardentissimo studio

(1) οὐδ᾽ ἐν λόγοις
Πλέον δίδωμι τοὺς ξένους ἡμῶν ἔχειν.
(In suos versus, v. 25-57, col. 1333).

facile conieceris, quo a puero in litteras graecas flagravit (1). Nimium enim bonarum artium illecebris detinebatur, quam ut doctrinam novam tanta dulcedine et pulchritudine spoliari sineret. Sic etiam postea cum in Iulianum imperatorem tanta indignatione erumperet, quae vix iustitiae suum locum suamque partem concedere videretur, ratio inde petenda quidem primo erat, quod Iuliano perfida mente ruinam religionis Christianae moliretur, ideoque iram iustam episcopo moveret; at inde maxime, quod consilium iam ante conceptum ipse Christianique omnes perficere vetebantur. Neque enim iam religionem veram propagare, tueri et illustrare potuissent, scilicet graecis litteris.

Immo et habemus ipsum fatentem. Iam ab adulescentia, inquit, id quaerebam ut veras falsis litteris adiuvarem, *καὶ γὰρ ἐξήτουν λόγους-Δοῦναι βοηθοὺς τοὺς νόθους τοῖς γνησίοις* (2). Quo quidem Gregorium nullo modo hic doctrinam tantum antiquam ad pedes Christi prosternere intellegas velim, etsi Christo servire illam aliis locis iubet (3); neque enim id ulla declaratione egebat. Verum, ut opinor, de sermone veterum formisque omnibus cogitat, quibus res Christianas exprimere aut illustrare cupit. Quod si tu illum eloquentiam significare contenderis, neque id ego abiecerim, modo diligenter attendas poetam nostrum ea in poemate quodam dixisse, cum iam nihil aliud fere quam versus saperet, ideoque illum idem de poesi ac de eloquentia consilium profecto non habere nequivisse. Quod et habuisse clarius declarat, cum causas versus faciendi explicat, quarum una est, inquit, « ne vim maiorem quam nos infideles

(1) *Ad Nemesium,* v. 43-45. — *De vita sua,* v. 112.
(2) XI, *de Vita,* v. 112-114, col. 1037.
(3) *Ad Seleucum,* v. 240-250. Etsi epistula ad Seleucum lib. II (II, s. 2), incertum est utrum Gregorii sit annon, tamen eam in medio profero, quia primum multi viri doctissimi eam Gregorio tribuunt, ac deinde eius doctrinam scribendique modum optime refert.

habere concesserim » (1), qui perfectissima ex more antiquo carmina aut possideant aut exarare queant. Quibus aemulari paribus profecto armis contendit. Audi etiam quibusnam verbis Cledonium amicum de proposito suo praemoneat : « Quod si nova Psalteria, Davidique contrarium sonum edentia, et carminum lepos pro tertio quodam testamento habentur, nos quoque psalmos et multa conscribemus ac versibus complectemur (2). Nos, inquit, scilicet ut Apollinaristae, versus condemus. At illi metricis veterum formis utuntur. Igitur et nos. Re vera formas huiusmodi usurpavit, adeoque strictissime ipse servavit, ut de animo eius ex poematis conditis minime dubitare possis. Quin etiam sibi ipse gloriatur quod bene modulatis carminibus, εὐκρέκτοις μελέεσσιν, laudes Dice cecinit (3), utpote qui propositum consecutus iure gaudeat. Quare Gregorium omnem metricam rationem qua veteres Graeciae poetae usi sunt, prorsus ex consilio retinuisse dixerim.

Quod si de rebus ipsis agitur, quas versibus infundere cogitabat, omnia etiam lucidiora sunt. Etsi enim libri paganorum poetarum utiliter legi possunt (4), tamen, iudice Gregorio, iam satis esse nequeunt ; in quo a Basilio dissentit. Homilia enim ad id ipsum seposita adulescentibusque dicata, quid utilitatis ex libris paganorum carpi possit, egregie Caesareensis episcopus pertractavit. Illud quidem in primis illos monet disciplinas antiquas arborum instar esse, quas non aliud magis quam fructus commendare possit ; sed et arbori tamen fructuique magnam ex foliis accedere utilitatem ac

(1) In suos versus, v. 48-49.

(2) Εἰ δὲ νέα ψαλτηρία, καὶ ἀντίφθογγα τῷ Δαβὶδ, καὶ ἡ τῶν μέτρων χάρις, ἡ τρίτη διαθήκη νομίξεται, καὶ ἡμεῖς ψαλμολογήσομεν, καὶ πολλὰ γράψομεν, καὶ μετρήσομεν.

(3) *In silentium jejunii,* v. 69 (II, s. I, c. XXXIV).

(4) Or. *in Athanasium.* — I, s. 2, c. X, v. 215-217. — *Ibid.,* s. 2, v. 25, v. 256. — Ep. *Ad Seleucum,* v. 33-61.

venustatem. Nec aliter, cum animorum fructus veritas sit, eam alienis disciplinis tanquam foliis vallari necesse est, ut exemplo Moyses et Daniel esse possunt, quorum unus Aegyptiorum, alter Chaldaeorum sapientia eruditissimus fuerit. Sed, ut verum fatear, huiusmodi consiliis parum contentus fuisse Gregorius videtur, et quamvis de Basilio saepius peroraverit, iustisque laudibus illum cumularit, nunquam tamen, ut opinor, de illa ad adulescentes oratione mentionem fecit. Quis autem tam altum silentium omni significatione destitutum iudicet ?

At magis profecto illorum severiori sententiae adversatur (1), qui, Tatiano duce, veterum libros optimasque artes repudiabant, quasi opera diabolica essent, quodque nimis evangelicae rusticitati repugnarent. Huiusmodi enim doctrina, quia modum prorsus ignorabat, valde Gregorio improbata fuit, nec minoris periculi Christianae religioni quam lex Iuliana ei videbatur.

Neque tantum vestigiis eorum insistere volebat, qui evangelica facta, similitudines, miracula, praeclaras quoque martyrum victorias versibus Homericis aut Sophocleis, hinc et inde minutatim collatis, artificiosaque diligentia contextis, enarranda et ornanda susceperant. Res quidem easdem versibus complexus est (2), at obiter tantum et quasi coactus, ut Apollinaristas sequeretur. Perpauca enim scripsit huius generis carmina, eaque neglegentia, ut potius necessitate quam proprio impulsu, ingenio repugnante, ea scripsisse facile intellexeris. Sed aliam sibi poesis formam effinxisse dixerim.

Qualem igitur ? Primo quidem falsos deos, fabulas ineptas paganorum, invocationes Musarum, omnem denique apparatum quo veteres tum epici, cum lyrici uti consueverant, animo

(1) Cf. or. *in Basil.*, t. II, p. 507, XI.
(2) I, s. 1, c. XII-XXVII, s. 2, XXX-XL.

ipse pertinaci abiicit (1), τὰ δ'ἔκτοθι ῥίψα Γαδείρων (2). Quae vero dogmata praeceptaque Christus nos docuit, ea celebranda sibi suscipit. « Organum Dei sum et bene modulatis carminibus laudes cano Regis quem omnia pertimescunt. » Neque haec apostolico modo, ut ita dicam, nempe tradita exactis verbis doctrina, verum poetice canere ex industria nititur :

Μέλπω δ'ὑψιμέδοντα θεὸν μέγαν, ἠδὲ φαεινῆς
    Εἰς ἓν ἀγειρομένης λάμψιν ἐμῆς Τριάδος,
Ἀγγελικῶν τε χορῶν μεγάλους ἐριηχέας ὕμνους
. . . .
Κόσμου ἁρμονίην . . . .
. . . .
Καὶ Χριστοῦ παθέων κλέος ἄφθιτον (3).

Quibus in versibus vocabula quaedam notes mecum velim, quia scilicet nec vera tantum, nec bona, verum etiam quae in dogmatis venusta sunt et pulchra canendi animum indicare mihi videntur. Quomodo propositum, si quod habuit, executus fuerit, uberius infra dicemus. Quidquid est, omissis rationibus supra positis (4), quarum unaquaeque aliquid veritatis continet, Gregorius profecto maximeque innato spiritu proprioque impulsu versibus incubuit ; sed, quia penitus religione Christiana imbuebatur, ideo poesim vere sincereque Christianam inchoavit, ita ut alia profecto carmina haudquaquam condidisset, etiamsi formam speciemque eorum novam sibi effinxisset, atque aperte verbis expressis declarasset. Ideo quid sibi habeant proprium ac singulare praecipue quaerere et admirari velim, indeque viam non antea tritam a Gregorio inscio consciove tentatam fuisse affirmarim.

(1) *In silentium jejunii,* v. 69-93. — Col. 1311, 1313, edit. Mign.
(2) *Ad Nemesium,* v. 305, col. 1575.
(3) *In silentium jejunii,* v. 69-93.
(4) P. 29.

Quantis vero difficultatibus Gregorii opus redundaret, ille suspicari potest, qui memoria quindecim ante praeteriti temporis saecula retrogressus, Nazianzenusque aliquo modo factus, iisdem locorum morumque rationibus sese vivere animo finxerit. Maximum enim intervallum erat interiectum inter veterum Graecorum consilia et hominum illius aetatis, neque tam annorum lapsu quam animorum immutatione plurimum distabant. Praeterea etsi lingua graeca flexibilis, uberior, rebusque vel tenuissimis exprimendis accommodata erat tum verborum abundantia, cum licentia singulari qua gaudet nova semper vocabula callidis iuncturis fingendi ; tamen tam inopinato occurrebant sive religionis arcana, sive animi affectus, ut vix sufficere usitata verba viderentur, quin turpiter barbarorum more detorta aut corrupta nativum sensum amitterent. Neque infitior sermonem graecum ab ipsis christianis scriptoribus, in primis ab Athanasio et Clemente Alexandrino ditatum fuisse, rebusque abstractis religiosisve aliquo modo accommodatum fuisse ; quot tamen ingeniose innovanda supererant, quae iudicium pariter atque felicem audaciam requirerent !

In quo emicat profecto vis ingenii ac mens divinior, si quis inaccessas vias sequentibus aperuerit. Is autem fuit Gregorii labor ; ea laus ; illius enim toto caelo carmina distant a carminibus quae superiores sive aequales, vena nonnunquam facili, at argumentis levibus humilibusque excogitabant. Gregorius vero tam multa feliciter ausus est, tot difficultates etiam superavit, tanta copia strictis ea versibus cecinit, ut paucis illis viris aggregari possit, qui inventores novatoresque habeantur, quosque eam ob causam homines singularibus honoribus prosequantur (1).

(1) Vid. inf , p. 42, 43, quae de Synesio Ephremoque scripserim atque etiam de Prudentio, p. 41, quibuscum Nazianzenum uberius conferam.

CAP. III

De poesi didactica.

§ I. — De poematis theologicis.

Partes Ecclesiae sunt homines rectas ad Deum vias edocendi ; quod munus ut impleat, verbo seu eloquentia maxime utitur. Etenim sive doctrinae explicandae sive pugnae adversus hostes sustinendae inservit, summosque parat triumphos. Nunquam tamen magis quam aetate quarta in Oriente valuit ; quod facile intellegas, si recordari velis quot certamina, quot discordiae ex omni haereticorum genere grassarentur. Tum eloquentia praecipue Ecclesia munere sanctissimo fungi potuit. Haec ferrea arma quibus pugnatur victoriaque reportatur. Quid ergo poesis conferret ? aliquid profecto ad ornamentum, nihil autem ad utilitatem. Quod si exsistimares, multum sane errares. Neque hic tantum quo studio Graeci poesim didascalicam prosecuti fuerint significare volo, Maxime enim Alexandrinorum aetate ars eiusmodi viguit, qua litterati homines adeo delectabantur, ut poesim in omnibus requirerent, aut saltem formam poeticam, etiam cum materia per se minime ferret. Quare poetae isti cum nihil iam magnum aut sublime canendum haberent, descriptiones terrarum, halieutica, cynegetica, pharmaceutica, aliaque ridicula poemata scribere conati sunt. Christiani vero aliquid novum elatumque, amplissimam copiosissimamque doctrinam praebebant. Itaque

poetae (1), ac in primis Gregorius, merito huiusmodi opera tentavere. Tamen alia ratione orthodoxi ducebantur, nimirum ut haereticos armis quemque suis et artibus expugnarent. Qui cum satis non haberent controversias in conciliis agere, aut populum orationibus captare, quaerebant etiam ut viros doctos invenesque carminibus sibi conciliarent quibus pravas doctrinas instillarent ; anguis enim sub flore latet. Quae vera aestimatione perpendere difficile nobis est : Arianorum quidem carminum ne vestigium quidem ullum retinuimus ; Apollinares vero Davidicos psalmos heroico versu transtulisse, libros Mosaicos vertisse, et ex veteri testamento historicos alios epico carmine, alios ad formam comaediae exemplo Menandri, alios tragaediae instituto Euripidis, scriptores referunt. Etsi nihil eorum superest (2), tamen multos illius aetatis suavitate poematum in errorem pertractos fuisse constat. Quapropter Gregorius, quanquam veteranus iam Christi miles, iterum ad arma cucurrit, atque eleganti quadam fortitudine, ipsius hostis arma sibi assumpsit. Haec igitur fuit carminum theologicorum occasio.

Neque me fugit ullum, salva una aut altera exceptione (3), litteratum subtilemque iudicem, eiusmodi carmina excussisse qua digna erant attentione, aut meritas laudes Gregorio persolvisse ; nec id mirum, quanquam lugendum. Materia enim ardua viris vel linguae graecae peritissimis, nisi plenius uberiusque quam fieri solet theologiae dogmata didicerint, earumque rerum usu aliquo fuerint exercitati. Quaecumque igitur modice intellexerunt obscura esse, statim ea prolixiora incertave viri pronuntiavere, qui, etsi cetera doctissimi erant,

(1) Sic s. Damasius. *Carm. de Virginitate ;* s. Paulinus. *Carmen contra Paganos ;* at praesertim Prudentius. *Apotheosis, Hamartigenia, Psychomachia ;* (cf. Puech, p. 161-165).

(2) Nihil Apollinarii patris ; filii vero paraphrasim in Psalmos adhuc habemus.

(3) Grenier. *S. Grég. de Nazianze.* 1858.

tamen ad eiusmodi carmina iuste aestimanda studiis suis minus erant parati; quorum quidem sententiam pro oraculo vulgus habuit.

Causam quidem afferunt quod tempora non idem nobis momentum nec eamdem delectationem ac illius aetatis hominibus habeant. Profecto non deerant opportuni temporis illecebrae quae carminibus Gregorii, cum primum edebantur, novam voluptatem adderent, iis praesertim quae paulo graviora aut nimis abstrusa videantur. Dogmata enim quae contionando apud frequentem populum incredibili catholicorum plausu defenderat, eadem versibus exactis elegantissimisque explicabat, vel ab haereticorum calumniis vindicabat. Itaque voces quaedam nuperrime prolatae, Nicaenaque Synodo approbatae, quibus divinitas et ὁμοουσιότης sive Filii sive Spiritus sancti asserebantur, etsi potius ad theologum quam ad poetam pertinent, multum tamen legentibus delectationi erant, quia veluti rectae tessera fidei bellicumque classicum accipiebantur. Hinc factum est ut poemata illa litteratorum hominum favorem admirationemque magis fortasse concitarent, quam ea carmina ubi proprios animi motus affectusque effundit Gregorius.

Sed neque dogmata theologica nunc iam taedii plena esse aut poesi repugnare fatear. Nedum enim materiam aridam tantum vel sublimioribus distinctionibus horridulam necessariisque finibus constrictam praebeant, immensum quoque campum sole floribusque amaenum aperiunt, in quo facultas imaginandi ac sentiendi prosilire valeat. Quapropter benigna voluntate te poetae nostro veniam dare vellem, etiamsi aliquid frustra tentavisset, at maxime cum in multis res prospere cesserit. Igitur ut praelium cum Apollinaristis committeret, Gregorius carmina dogmatica scripsit moraliaque. Etsi ex consuetudine ita dividuntur, nos tamen de poematis didacticis summatim agimus, quippe quae omnia diversi generis carmina

complectantur. Primum autem poemata theologica aggredimur.

Quo nomine carmina I - III, VII, IX - XI, XXX - XXVIII (l. I, s. I) velim intellegas, ubi pravas doctrinas ea aetate scatentes acerrime impugnat. Arius enim Christum Deum esse aut eiusdem substantiae ac Pater négabat ; qua praecipue haeresi Ecclesiam dilaceravit eique maxima pericula intulit. Apollinarius quidem Verbum Dei, cum sibi naturam humanam induit, carnem tantum, mente relicta, assumpsisse declarabat. Demum Macedonius Spiritum sanctum haudquaquam Deum esse neque a Patre Filioque procedere contendebat. Ne multa, haeretici Trinitatem petebant, fidemque catholicam radicitus convellebant. Quae sectae in plures quidem ramos spargebantur ; sed tamen omnes ex tribus illis quasi truncis trudebantur. Gregorius vero cum iam Ecclesiae Constantinopolitanae praeesset, eas praeclarissime vicerat ; sed praelium carminibus renovavit.

Quod si a me quaeras quanam mente ea conceperit, ego libenter illum more epico concepisse dixerim. Id enim ex initiis carminis I (lib. II, s. 1) coniicere licet, ubi aliquid grave, elatum seu epicum resonare videbitur. Quam perceptionem confirmari senties, si modo carmen XXXIX (l. II, s. 1) cum illo conferas. Ibi enim (v. 69-93) Gregorius se poema praeclarum e grandi proposito cantavisse declarat :

Ὄργανόν εἰμι θεοῖο, καὶ εὐκρέκτοις μελέεσσιν
Ὕμνον ἄνακτι φέρω, τῷ πᾶν ὑποτρομέει.

Quidquid est, carminibus consideratis, eiusmodi consilium, si quod fuit, Gregorium non perfecisse fateor. ; lapides quidem pulchri ; sed monumentum desideratur. Satis igitur nobis erit ut qualia se habeant poemata exploremus, numque aliquid novum in eis reperiamus.

Huiusmodi carmina, ut supra iam dixi, Arianorum et Apollinaristarum erroribus opponuntur ; quibus breviter in

memoriam revocatis, (eos enim in promptu omnes tum habebant), veram Gregorius de Trinitate doctrinam declarat; ea enim maxima res de qua ardentissimo studio hoc tempore agebatur. Cuius fontes non aliunde quam e scriptura sacra hausit, aut e concilio Nicaeo aut fortasse etiam apud Athanasium illum, etsi magis animi fortitudine quam orationibus athleta praeclarus Ecclesiae profuit. Verius etiam censueris, si Gregorius e seipso, hoc est e divitiis studio cogitationeque iam antea congestis doctrinam deprompsisse iudicaris. Non quod ipse Trinitatem aliquo modo primus invenerit; id tantum significare volo nullum ei ducem fuisse, ut Tertullianum Prudentio, e. g. fuisse constat, cum easdem agit quaestiones. Quae quidem prima erit ingenii nota singularis.

Nunc autem ad poemata explicanda nullas ab humana mente rationes repetit, cum materia eam omnino superet. Igitur supra mentem praeterve, hoc est, e fonte supernaturali aut e scriptura sacra quaerendae sunt. Unum valet, auctoritas; doctrinam affirmando exponit. Mens seu ratio nostra tantum advocatur ut inde aliquid in adversarios aut ad fidem stabiliendam colligat. Quapropter Gregorius doctrinam iisdem verbis expressis, exactis, acutis, strictisque quibus ab Ecclesia definitur, semel atque iterum variisque modis exprimit (1). Deinde argumenta ex illa affirmatione in haereticos ducit, quibus aut eorum repugnantia aut inepta demonstret (2). Demum ea diluit quae contra isti dicebant. Cum enim maxime scriptura sacra uterentur, ut adversam doctrinam expugnarent, Gregorius, illatis in castra eorum signis, locos in medio positos accipit, illustrat, adversariosque vel non intellexisse ant eiusmodi locos sanam doctrinam confirmare ostendit (3).

Quod si nunc carmina illa theologica cum orationibus etiam

(1) C. I, 25-40; II, 5-10, 20-24. C. III, 2-10, 60-78; VII, 11-20; X, 1-20.
(2) C. II, 13-45; III, 80-90; X, 25 ad finem.
(3) C. III, 10-35-40.

theologicis componas, poemata ex orationibus multa referre facile animadvertas. Sic enim eadem sententia initio simul carminis I[i] ac orationis II. continetur ; haec est : neque mens humana, neque fortasse angelica infanda mysteria SS. Trinitatis intellegere valet. Sic etiam carminibus II, VII, non aliter ac oratione III[a] generationem divinam explicare conatur. Demum in poemate III eadem haeretici de silentio sacrae scripturae quae in oratione V obiiciunt, eodemque modo obiecta dissolvuntur. Sed neque ego orationes carminibus longe praestare infitior, scilicet copia, nervis, varietate atque ardore animi. Carmina vero breviora, ieiuna, spirituque angustiora merito fortasse iudicaris. Quod profecto ex proposito poetae nostri intellegere potueris ; cum iuvenibus enim agit quos ab errore servare conatur. Fastidiosum igitur de doctrina controversiisque disputare fuisset, satisque erat breviter plenioreque succo ea complecti. Cavendum quoque erat ne sollicitudinem Ecclesiae moveret, quippe quae facile timeret, haereticis exemplo suadentibus, ne ex carminibus aliquod detrimentum fides caperet. Quapropter Gregorius prudens volensque veritatem nonnihil nudam prosecutus est.

Quid ergo ? cum paria orationibus poemata non sint, num igitur ea omni virtute poetica destituta esse fatebimur ? At contra vim quamdam propriam novamque in eis eminere contendimus, quam infra etiam magis admirari fas erit. Primum aliquid exactum, plenum, lucidum in doctrina explananda notes, quo nihil magis necessarium aut rarius dixeris, cum praeter vim de rebus abstractis penetrandis mirabilem, verborum etiam singularis copia requiratur. Quare neminem ex orientalibus poetis cum illo conferam, excepto fortasse Ephremo Syro, quanquam iste magis fervore animi quam rerum strictissime exprimendarum virtute eminet (1). Tan-

(1) Cf. tamen, p. 43.

tum in Occidente Prudentius ei similis videretur in poematis quibus tituli Apotheosis et Hamartigenia inscribuntur, quorum uno de SS. Trinitate disputat, altero quaerit unde malum oriatur. Neque in eo tantam rerum sublimitatem aut vim disserendi aut cogitationum acumen invenias. Aliquid etiam in doctrina proprium Prudentio deest. Sed tamen neque copia carminum, nec studio neque bellatorio dicendi genere Nazianzeno cedit (1).

Insuper cum praeclarissima illa subtilitate Gregorius ingenii aliquam coniungit amaenitatem. Quomodo enim initia carminis I (lib. I, s. 1) aliquid epicum saperent, iam supra tibi indicavi; sed idem passim alia carmina resonant, quo ex humili aliquando extolluntur (C. IX, 9-18, 60-61; C. III, 1-5, etc.) Praeterea, servata pro gravi materia sobrietate, similitudinibus etiam utitur, quarum festivitate carmina severiora condiuntur. (C. III, 60-70; c. VII, 1-5; 30-35). At maxime in eo singularitas ponitur, quod aliquam vehementiam, aliquem impetum ardoremque animi poeta prae se fert, quo vita quadam ideas abstractas induit et calorem quemdam per carmina diffundit. Ita Lucretius frigidam materiam incendit. Quae si omnia excutere velimus, plura continere videremus: primo quidem iram quamdam in haereticos sive exsecrationibus sive contemptu irreidndove manifestatam vel etiam passim per omnia poemata diffusam (2). Deinde fervore quodam animi omnia incenduntur. Nec enim philosophum quemdam theologumve disputantem sed virum pie credentem audis (3). Quae in theologicis carminibus, at maxime in hymnis facile deprehenderis. Hic tantum hymnum XXX posuerim in quo poeta noster spiritu quodam divino instinctus, solem, lunam, sidera, homines, omne denique animal ad laudes Dei canendas incitat, quem

(1) Cf. Puech, p. 187.
(2) C. I, 35-39; II, 2-4, 40-43; c. III, 52-54; VI, 1-10; X, 1-45; XI, 1-16.
(3) C. III, v. 47-50, v. 87; IX, v. 69, etc.

Patrem, Creatorem omnium, et Verbum filium Dei, ὁμοούσιον Genitori, et Sp. Sanctum qui Deus ipse est, praedicat, ita uti fidem simul Gregorius et amorem in Deum profiteatur. Cu, carmini etiam omnino exaequandus hymnus vespertinus XXXII videtur, in quo Nazianzenus verbis φῶς et σκότος festive ludens, Deum per noctis tenebras protectorem tenerrima voce deprecatur. Quantum vero huiusmodi hymni singulariter emineant, facile comprobabis si carmen XXX cum hymno XXIX conferas, quod Proclo iure vindicatur, (1) ubi pulcherrimis quidem verbis doctrina declaratur, sed aliquid vivum, animum exsultantem ardoremque in prece frustra quaesieris Quod idem de hymnis Synesii (I-VI) (2) merito dixeris, utpote qui philosophorum placita saepius christianis praeceptis misceat. Neque recta fide tantum, sed etiam vi illecebrisque phantasiae Gregorius Synesium superat. Sic, ut exempla proferam. Cyrenaïcus haud semel de spiritibus per orbem terrarum disseminatis sermonem habet, quem aridiorem iure reperias. Gregorius vero eamdem materiam similitudinibus et quasi luminibus spargit delectabiliter. (P. D. I. C. VII). Neque meditationes abstractae Synesii ullo modo hymnis Gregorii supra citatis conferri possunt, qui pia quadam simplicitate et pressis poeticisque verbis simul et maxime commendantur. Equidem non infitior Synesium interdum grandi quodam spiritu afflari, ut in hymnis VIII-IX, ubi Christum nascentem, resurgentem ac in caelos ascendentem celebrat. Sed tamen aliquid incertum in doctrina deprehendas, ac tibi mythologica occurrent, (Ἀΐδας ὁ παλαιγενής, λαόβορος κύων, Κυθερήϊος ἀστήρ) ; aut Pythagorica (αἰθήρ, σοφός ἁρμονίας πατήρ) ; aut platonica (σφαίρησιν ἐπέπτας, σιγώμενος οὐρανός). Omnia vero Gregorius christiane sentit, atque utriusque discrepantiam e. g. in carmine *De Filio* recognoscas,

(1) Cf. Jahn. *Eclogae a Proclo de philosophia chaldaïca.* 1891.

(2) Ap. Christ. In *Anthologia.* Vid. H. Druon. *Œuvres de Synesius.* Paris, 1878.

in quo strictam gravemque doctrinam exactis etiam verbis declaratam mecum probaveris. Unus tamen inter poetas huius aetatis, scilicet Ephrem Syrus, Gregorio exaequari omnino potest, aut saltem multa communia habet. Uterque enim pugnam adversus haereticos conseruit : alter adversus Arium, Apollinarem et Macedonium ; alter adversus Marcionem, Manem et Bardesanem ; Gregorius quidem magis philosophicis theologicisque, Ephrem vero accommodatis maxime plebi argumentis utitur (1). Neque Nazianzeno verborum et similitudinum copia vel iucunditate concedat. Immo in hymnis adversus scrutatores idem saepius ac Gregorius discipulis suadet, nempe nimium disputandi vitent studium. Etiam fortasse Gregorium hymnis liturgicis superet, quibus ieiunium, paenitentiam, martyres canit. Neque enim affectibus tantum, sed modulationibus etiam et sonorum concentu distinguuntur. Attamen eum elegiis imparem dixerim (2).

Quidquid est, in eo iam singularitas ingenii Gregoriani elucet, quod rebus abstractis varios affectus coniungere solet. Adde etiam quod aptiorem formam usurpat, qua illa propria ingenii nota illustretur ; scilicet nullas de theologia doctissimas disputationes scribit aut longis argumentationibus doctrinam demonstrat ; verum eius ratio in meditatione theologi viri simulque pie credentis tota ponitur. Recte quidem meditationem, minime vero incertam subobscuramque cogitationem dixi, qualis Lamartinii nostri saepius fuit. Theologum enim facile intellegas, cuius mens gravi rectaque doctrina mature informata fuerit ; simulque virum pie credentem qui magnopere eiusmodi doctrina delectetur. Meditatione vero iuvante, animus incenditur, affectusque ex altissima cogitatione exoriun-

(1) *Carm. Nisib.* XLVIII, 11 — C.XLVI, XV, XLIII, LII, praesertim adv. haer., 53, 33, 56 — *De Margarita*, adv. scrut. 40, 57, 73 ; cf. C. Ferry, *S. Ephrem, poete*. Nîmes, 1877.

(2) Vid., p. 74, not. 5.

tur, nec ullus mollitiei cuidam religiosae locus relinquitur. Haec igitur est nova propriaque in carminibus theologicis Gregorii virtus, quam ex infra dicendis magis etiam deprehenderis.

§ II

De poematis philosophicis.

Quibusdam ego poematis nomen philosophicorum tribuo, quia altissimas illas quaestiones tractant, scilicet de Providentia, aut de origine rerum, unde mundus et animus oriantur, quonam modo, quove etiam pergere debeant. Quare merito a theologicis ea secerno carminibus, cum illa primum de rebus tantum agant theologicis, a Deo revelatis, ac supra mentem humanam positis. Dein cum Christianis sermo est, aut etiam haereticis, qui, doctrina universe accepta, de quibusdam tantum revelatis dissentiebant. Rationes demum ad theologica explicanda e doctrina sacra, humana silente, depromuntur. Non ita in philosophicis carminibus res se habent. Disputatur enim de mundo, de Providentia, atque de animo, quibus intellegendis mens nostra argumenta inquirere, et aliqua difficilia solvere potest. Igitur non cum iuvenibus tantum quorun fides armis instituenda sit, verum etiam cum paganis poeta noster agit. Quod profecto ex eo comprobatur quia Gregorius diligenter opiniones veterum aut in memoriam revocat aut acriter redarguit. Quapropter plures, ut censeo, eiusmodi poematis quam theologicis alloquitur, ideoque maioris fere momenti ea dixeris. Sic etiam non temporum tantum necessitatibus inserviebat, sed aliquid simile poesis illa referebat ac olim aetate Eleatarum, cum homines docti iam magis de na-

tura rerum aut morum legibus quam de fabulis Homericis solliciti philosophiae incumberent. At quoniam Graeci artis aut numerorum avidiores semper erant, ne philosophando quidem poesim omiserunt. Ita Empedocles aut Xenophanes (1). Sic carmina Gregorii radices apud antiquos Christianosque simul habuere. Quae profecto ei auxilio fuere ut egregium opus scriberet, at saltem se eum esse significavit qui illud condere valeret.

Philosophica igitur, ut iam memoravi, poemata opiniones quidem paganorum, minime vero haereticorum referunt. Cuius ratio esse mihi videtur quia eiusmodi doctrinae adhuc in Oriente diffundebantur, periculumque etiam Ecclesiae iniicere poterant. Noli enim oblivisci Gregorium cum iuvenibus ab errore servandis agere ; quare primum pravas haereticorum doctrinas impugnavit, e quibus maximum fidelibus discrimen veniret. Inde poemata theologica. At paganorum etiam disciplinis fides in aliquo dubio erat. Quanquam enim novis praeceptis gravi vulnere percussae erant, nondum tamen omnino perierant ; immo etiam vita quadam in scholis a iuvenibus celebratis florebant, ubi eiusmodi doctrinis eo magis alliciebantur, quod praeclarissimi magistri eas omni sermonis lepore ac turpitudinibus purgatas docerent. Nonne Gregorius Alexandriae discipulos Plotini aut Philonis, et Athenis Himerium audire potuit ? Quot ea aetate homines Nemesio illi similes essent, qui animun non inducebat ut impios errores abiiceret ! (2) Sic, ut opinor, cogitationem Gregorii veterum opinionibus tantum tribuentis assequor (3). Primum quidem breviter eas commemorat, nulla tamen

(1) Cf. A. Puech, p. 166.
(2) *Poem. ad alios* VII.
(3) Cf. In Occidente, Paulini *Carmen contra Paganos*, et quos Prudentius *in Symmacum* libros scripsit ; antea etiam, quod post opera s. Cypriani reponitur, *Carmen ad senatorem*.

explicatione, sive satis iuvenes eas cognoscant, qui in scholis tum erant ; sive longis disputationibus veram doctrinam immergere nolit, cum sibi eam exponendi unum propositum habeat ; sive etiam timeret ne ampliore expositione aliquod periculum animis illis esset, qui facile errorum illecebris caperentur. Igitur in carmine IV *De mundo* duobus versibus (3-5) doctrinam Platonicam de ideis, duobus etiam Manichaeam (24-26) refert. Nec magis immorari opus erat. Doctis enim viris cetera paucis in memoriam revocabantur. Poemata vero *De Providentia* (V, VI) Epicuro qui omnia casu regi dictitabat (7-9), Graecis quoque aliis qui, sublata Providentia, omnia motibus siderum concedebant (V. 15-34), Chaldeis et Zathrustis discipulis qui omnem zodiaco virtutem tribuebant (C V, v. 45-47) opponuntur. Demum Gregorius carmine « *De animo* » philosophis contradicit, qui dicuntur exoterici, quorum alii ignem animi substantiam, alii aerem, alii sanguinem per corpus totum diffusum, alii congruentiam partium quibus corpus coalescit (v. 8-12). At parum in eorum disciplinis exponendis consistit. Noli, quaeso, tantam brevitatem ignorantiae tribuere ; multum enim in omni disciplinarum genere Gregorius versatus erat, utpote qui artibus optimis in celeberrimis scholis studuisset. Sed nihil attinebat amplius hic eloqui.

Quas vero doctrinas ut confutet, rationis quidem argumentis utitur, quibus repugnantia aut stulta acriter illustret (IV, 10-18, 26-38 ; V, 10-15, 16-34, 45-52 ; VIII, 13-52.) Argumenta autem e communi sensu ducit, quia facile intelleguntur ; iuvenibus vero nihil non breve, non lucidum Gregorius proponendum merito iudicavit. Nullam igitur plenam hic perfectamque demonstrationem quaeras ; eam potius ex fide quam ratione sibi Nazianzenus desumit ; nec mirum, quippe qui ante omnia sanam doctrinam docere cupiat. Itaque, humanis contemptis, divina exponendo errores redarguit.

Quod si tibi magis comprobari poposceris, ut exemplum tibi proferam, audi quomodo quaestionem illam de bonis malisque solvat, qua nulla maiorem animi anxietatem provocat aut angustiores difficultates suscitat. Gregorius enim etsi optima quaeque e mente humana decerpenda callebat, tamen, quia parum ea valere ideoque periculo magis esse sciebat, nihil nisi ex fide sibi vindicat. Unde malum ? non ex tenebris, quidquid Manichaei asserunt. Tunc malum animi seu vitium oritur, cum lex bona violatur ; sic nox ex occasu solis. At a daemone impellimur ut sanctissimam illam legem frangamus. Tantum e nobis diabolo obsequentibus malum enascitur. (C. IV, 43-55). Quis vero inaequalitatem bonorum malorumque solvat ? Nihil profecto novum obiicis ; idem Davidi finem rerum omnium consideranti occurrit. Neque tamen tanta difficultate Gregorius perturbatur ; immo nec aliquid ad eam excutiendam in promptu se habere fateri dubitat :

> Εἰ δ'ἀγνοεῖς σὺ τοὺς λόγους, οὐ καὶ Λόγος.
> Οὐδὲ γὰρ, εἰ σὺ τῆς γραφῆς, καὶ ζωγράφος.

Ceterum,

> Εἰ πάντα δῆλα, ποῦ τὸ πιστεύειν λέγε. (1)

Alia tamen tentat. Quis enim vobis fidem amplectentibus bona terrestria pacto quodam promisit. Quam magna haec aviditas ! quam novum commercii genus ! (VI, 41-49). At olim melius cum hominibus agebatur. Noli tamen eis invidere ; quia pueri erant, lacte nutriebantur. Viri autem pane, hoc est rebus adversis aluntur (52-57). Insuper non pristinis hominibus Christum redemptorem, ideoque gratiam futuramque beatitudinem habere contigit ; nobis ergo minus debetur, qui maiora beneficia accepimus (75-81). Demum eiusmodi argu-

(1) *Poem. dogm.* VI, 25-40.

mentis quae maximo pondere Christianum virum premunt, aliquid Gregorius, pro ingenio satirico, addit ironice dictum, similitudine inter bovem pinguem et macilentum instituta (87-98). His igitur omnibus qua disciplina seu argumentandi ratione Gregorius utatur, tibi intellegere licet. At saepissime, ceteris cito contemptuque remotis, tantum maxima gravitate ac maiestate doctrinam veram declarat, qualis sol splendidus qui suo tantum fulgore tenebras pulsat (c. IV, v. 38-41, 60-71, c. V, v. 35-45, c. VIII, v. 55-75).

Attamen in carmine IV « *de mundo* » magis ratione usus est, fide sèmper in auxilium vocata, cum ratio caeca fieret aut pedem offenderet. Ibi enim ideas Platonicas usurpat (1). Magnam quidem cum Platone, summo illo philosopho, cognationem Gregorius habuit, adeo ut Ullmanus, vir quidem doctus Nazianzenum in exponenda sua doctrina Platonem potissimum esse secutum, immo Platonicis principiis per omnia opera semper usum esse affirmaverit (2). Quem ut refellat, Hergenroetherus orationem XXVII in medio profert in qua Gregorius Platonicae doctrinae contradicit, et orationem XXXVII, qua Theologus « platonicae facundiae vestigia sicut plagas quasdam Aegyptiacas in Ecclesiam perniciose irrepsisse conqueritur » (3). At valeant ea pro orationibus tantum et quibusdam doctrinae Platonicae capitibus. In poematis enim mitius de Platone iudicavit. Sic in carmine *de Virtute* eum vocat σοφώτατον ἀνδρῶν (lib. I, s. 2, c. X, v. 306), et linguam eius mel stillare dicit (ibid., v. 43). Immo ipsis ideis Platonis, quas in oratione XXVII reiicit, in carmine « de

(1) Cf. Matth. Schubach. *De B. P. Gregorii Naz. carminibus commentatio patrologica*, 1871, p. 27, 28, l. II, c. II. — A quo multa in hac quaestione mutuatus sum breviter complectendo.

(2) *Gregor. von Nazianze der Theologe*, Darmstad, 1825, pp. 303, 330, 390.

(3) Hergenrœther, *die Lehre von der gœttlichen. Dreieinigkeit*, p. 11. Cf. Petavium *de Trinitate*, lib. I, c. I et 6.

mundo » utitur, ut qua ratione mundus a Deo creatus sit, clarius declaret. Nemo quidem doctrina philosophica eruditus ignorat quantum in platonica disciplina valeant ideae, scilicet eas esse omnium rerum causas et fontes. Res etiam notissima est scriptores christianos, ob cognationem cum doctrina christiana, ideas istas ei aptare studuisse. At inter illos scriptores qui doctrinam platonicam in christianam induxere, Gregorius in primis adnumerandus est, qui ante Augustinum et ceteros (1) illis ideis usus est, ut, qua ratione omnes res a Deo procreatae essent, explicaret.

Igitur ea collegamus quae Gregorius in carm. IV de hac quaestione exposuerit. Initio quidem Platonem, qui τὴν ὕλην aeternam statuit et ab aeterno ideis mixtam, refutat sicque concludit :

εἰ δὲ κεραστής
ἔστι Θεός, τοῦτον καὶ κτίστορα δέχνυσο πάντων. (v. 15)

Formae vero et imagines rerum non divinae quaedam substantiae sunt, sed et Deo volente factae (v. 5 et 6). Deus cogitavit, et res ideis formatae exstiterunt (v. 20, 21). Non enim extra se imagines respicere debuit, ut pictor qui ex forma formam similem exprimit (v. 21-23). Igitur Gregorius ideas ab aeterno (v. 72, 73) excogitatas productasque a Deo fingit, at simul libere (v. 6, 67). Postea vero mundus creatus est ; id saltem a Gregorio declarari conieceris ex verbis quibus utitur, ἔπειτα, μετέπειτα, εἰς ὕστερον (v. 59, 69, 75). Nullo tamen modo temporis vices in Deo statuit, sed Deum cum tempore creasse declarat (2) (v. 70-74). Equidem fateor Gregorium ea magis sparsisse quam ordine exposuisse ; haec tamen satis erunt

(1) Pantaenus Alexandrinus et Iustinus M., etsi vim idearum ad intellegendam rerum originem cognoverunt, tamen explicationem non persecuti sunt.

(2) Idem, Augustinus, l. XI, c. VI. *Civit. Dei.*

ut, qua ratione ideas Platonicas usurparit, informare animo possis. Ex Platone enim ideas mutuatus est, sed tamen proprie emendavit, id ab eis quod Pantheismum redolebat purgando. Etenim sunt ideae, rerum creandarum exemplaria, mente divina ab aeterno libereque concepta, et Verbo Dei mundi creatione manifestata. Altius etiam progreditur, eisque respondet qui, Origene duce (1), (cum intellegere nequirent in quo Deus ante mundi constitutionem occupatus esset, aut eum nihil agere), ei necessitatem quamdam mundos infinito numero creandi statuebant. Hic quoque Gregorius ideas adhibet. Deus, ait, ante mundum creatum, minime otio indulgebat, sed « movebatur mundi formas intuens seu ideas, qui postea creandus erat. » (v. 67-69). At arcana tanta perscrutari mihi non assumpserim. Tamen ex dictis non similitudinem tantum Gregorii cum Platone aut discrepantiam deprehenderis, verum scientiam, ingenii vim et aciem. Haudquaquam rationem in philosophicis rebus excutiendis refugit, sed libentius fide Christiana utitur, ut omnia eius doctrina explicet.

Quaerat forte quispiam utrum poesis quoque tantopere emineat. Profecto, ut in poematis theologicis etiamque magis similitudinibus emicat, (V, v. 5-7, 10-14, 65-71; VI, v. 87-97; VIII, 91-95, 120-130) ; aut identidem ex ira erumpit, quae lenius licet quam supra, tamen in adversarios acriter saevit (C. VI) ; aut superbo quodam contemptu manifestatur, quasi doctrinas paganorum profligando eis etiam diceret : « Nonne quae ex disciplina vestra consequantur inepta et repugnantia videtis? Quam igitur creduli ac stulti ! » Atque his omnibus et aliis res abstrusissimae ardore quodam accenduntur. Sed amplius mihi poesis in fide illa secura, magna et fervida ponitur, qua carmina tota ac versus fere omnes imbuuntur. Ex ea enim aliquid grave, maiestate plenum, vivum aut etiam bibli

(1) Origenis *de principiis*, l. II.

cum exsurgit, sive breviter doctrinam sive longius exponit (C. IV, 60-71; VIII, 47-77). Hinc forma illa exoritur, scilicet contemplatio philosophica, in qua, vitatis disputationibus, fides, ut fluminis aquae inter ripas altissimas, sese effundere potest. Inde demum carmina eiusmodi nulla siccitate arescunt, sed infuso quodam sanguine calescere videntur.

§ III.

De Poematis Moralibus

Quae theologica vocavimus carmina, ea de rebus a Deo revelatis, philosophica vero de Providentia, de origine rerum aut ipsius hominis, mente humana illustrante, agunt. Istis tamen id proprium est in abstracta rerum contemplatione poni. At quibus iam nunc incumbimus, ea ad usum vitae consuetudinemque spectant, atque etiamsi de doctrina mera disputent, non generaliter tantum, sed proprie hanc aut illam virtutem, sive paupertatem, sive castitatem aut prudentiam persequuntur. Quare ab aliis eiusmodi carmina secernimus, distinctiusque perscrutamur, cum iis praesertim Gregorii ingenium didascalicum splendeat.

Maurini quidem editores nomine moralium circa XL poemata complectuntur, quorum aliqua meditationum philosophicarum, alia satiricorum, alia gnomicorum carminum speciem referunt. Inde iam Gregorium varietate eminere fatearis. Nobis tamen primum tantum genus excutere hic in animo est, scilicet carmina XVIII quorum etiam VI removemus, utpote quae magis elegiacam formam quam didacticam praebeant. Supersunt igitur XII poemata quae nobis satis erunt quibus singularis Gregorii vis poetica manifesta fiat.

Praecipue vero Nazianzenus nobis in carmine X aperit quid de virtute sentiat, ubi, quasi dissertatione omnibus modis absoluta, cuncta fere de virtute universe sumpta seu

potius, argumento sic dilatato, de christiana paganae comparata comprehendit. Quo carmine iuvenem quemdam litterarum bonique studiosum instituit, ut optimam vitae rationem elegat. Igitur ut studium adulescentis excitet, postquam nihil esse in terris magis optandum quam virtutem aut Dei amorem declaravit, tunc orationem altius repetens, de rerum creatione Gregorius disserit (55-59.) Homo quidem a Deo gignitur, qui naturas duas inter se oppositas compegit, alteram mente destitutam et ad terrestria pronam, alteram ratione praeditam, nec corpori mancipatam, sed aciem ad sublimia tollentem (60-152). Virtus autem ex intestina illa pugna multisque ad perfectissima quaeque assequenda conatibus exoritur.

At ubinam gentium illam invenias? Sunt quidem, apud antiquos, sapientes, etsi multa gravissima de Deo ignoraverunt, aut turpia de moribus credidere, aut repugnantia docuere. At in eo omnes consensere quod nihil sit virtute praeclarius (181-208). Nonnullos autem eorum, ait, exempli causa commemoremus, ac veluti « rosas in spinis » collegamus (v. 216). Hic vero nos consistere iuvat, cum opinionem Gregorius de usu scriptorum veterum aliquo modo praebeat.

Cum enim adulescens esset, litterarum graecarum studio flagravit, neque tam acerbe in Iulianum imperatorem invehitur, nisi quia tyrannus eiusmodi amorem gravi vulnere affecerat. Ipse etiam quid de antiquorum libris sentiret, oratione in B. Athanasium declaravit, ubi, ne multa, libros istos non a Christianis spernendos, sed ex eis quidquid honestum, quidquid verum decerpendum esse censet; in quo quidem Basilio Magno, Gregorio Nysseno ac Hieronymo aliisque assentit, qui illa aetate idem praedicavere. Quam normam Gregorius saepissime in orationibus ac epistulis, minus tamen in carminibus secutus est, ubi graviori sententia veteres premit. Philosophos enim vocat sapientes, non tamen sapientes (v. 181, 182), quia praestantissimam Dei naturam

ignoraverunt. Vix aliquid boni ex iis, ut rosas e spinis, collegi concedit. Poetas vero omittit, etsi eos in ceteris operibus profert, locisque ex eorum libris desumptis sententias suas illustrat, ac quasi lumina eis adspergit. Cuius ratio esse mihi videtur, quod adulescentes ab amore ethnicorum et mollium poetarum abducendi consilio inito, ab istis abstinere statuit, et maioris etiam cuiusdam periculi, quod ex libris philosophorum impendere christianis posset, sensu commotus, eis magna tantum cautela utitur. Nec adeo vana imago erat. Neque tantum iuvenis ille, illa aetate, studiosissimus litterarum graecarum erat. Permulti etiam erant alii sive adulescentes sive viri qui scholas ethnicas celebraverant, ac nimis fortasse doctrinarum illecebris capiebantur. Testis est Nemesius ille, quem ut ab eis divelleret, omnibus ingenii opibus Gregorius sollicitat (1). Etsi enim deorum cultus doctrinaque iampridem victa omnino erant, neque iam imperio regendo aut legibus efficiendis aderant, multum adhuc in scholis, et apud viros litteratos, disciplina paganorum aut memoria valebat. Quapropter Gregorius omni cura nititur, ut ab ea iuvenes defendat, viros autem deducat.

Quod ad adulescentem nostrum attinet, mollius ei consulit, ne forte, si arctius cum eo ageret, propter studium nimium litterarum antiquarum, praecepta optima stomacharetur. Itaque poeta sapientes fuisse in Graecia non diffitetur, qui recte de virtute senserint eamque coluerint (v. 214 et seq.), ac Diogenem aut Cratem aut Cleanthum aliosque in medio ponit. Hic autem duo observanda : alterum, quanta fuerit Gregorii eruditio. Omnium enim fere philosophorum aut oratorum qui laudes apud veteres meruere nomina refert, quorum virtutes paucis verbis et exactis exprimit. Neque doctrina tantum eorum sese institutum praebet, verum narratiunculas etiam

(1) Lib. II, s. 2, c. VII.

apprime cognoscit, quibus feliciter utitur, sive versus eas immiscendo sive leviter alludendo, ita ut eiusmodi carmen viris litteratis singularem afferat delectationem.

Alterum est quod praecipue cynicis favere videatur. Non quod ego germano illi critico (1) assentiar, qui, Gregorio de virtute omnibus anteponenda aut de asperitate vitae sive in orationibus (2) sive in carminibus agente, illum disciplinae cynicorum prorsus obsequi asserit. Quod si ita sit, Christum et Apostolos et monachos et christianam religionem totam illius continuationem esse dicat. Nec ego infitior cynicos fortasse eadem de virtutis excellentia praedicasse. At verius Gregorio, ad rationem illam vitae servandam, nonnisi Evangelicis praeceptis divinique Magistri aut sanctorum virorum exemplis, opus fuisse contenderim. Qua tamen correctione habita, non falso iudicaveris Nazianzenum multam cynismo operam dedisse. Sic saepius easdem quas Cynici voces usurpat, ut, κατατρυφᾶς, τρυφερός, ἀγροικία, τρυφή, εὐτέλεια. Maxime vero hanc εὐτέλειαν olim a Crate hymno quodam (3) laudatam extollit, ac tenui mensa, humilique veste ipse gloriatur (4). Immo principia cynicorum suis proxima declarat, quae « illum quibusdam alis efferunt ad vitam et naturam voluerum » (5). Quo melius mala τῆς τρυφῆς ostendat, exempla Midae et Sardanapalli a cynicis mutuatur (6). Etiam ut contemptum suadeat divitiarum, quaedam praeclare dicta aut facta Diogenis vel Cratis praecipue memorat (7). Demum in carmine « adversus opum amantes », illud cynicum sibi assumit, scilicet divites morbo laborare seque aegros

(1) Asmus. *Gregorius von Nazianz und sein Verhältnis zum Kynismus*. Karlsruhe. 1894.

(2) *Or*. 43, c. 20, col. 521, C. — C. 21, col. 524, A. — *Or*. 25, c. 4, col. 1201, D.

(3) Cf. *Or. Iul.*, or. 6, p. 257, 18 sqq.

(4) *De vita*, v. 706. — *De seipso ac episcopis*, v. 297 sqq. — *De rebus suis*, v. 73 sqq., or. 42, c. 24, col. 488, A.

(5) *De virtute*, v. 259 sqq.

(6) *De virtute*, v. 407 sqq., v. 612 sqq.

(7) *Ibid.*, v. 443 sqq., v. 228, 236, or. 4, c. 72, col. 596.

nescire (1). Adeo disciplinae huius sectatoribus favet, ut libens Maximum philosophum, quia cynicus forte erat, hospitem accipiat. Nec tamen postea pessimum istum canem cum Diogene aut Crate confert, quos ei praestare asserit (2). Unde, aliis, ex orationibus ac praesertim ex oratione « εἰς Ἥρωνα τὸν φιλόσοφον », omissis, merito coniicias Gregorium non parum doctrina cynica delectari, scilicet ob cognationem quamdam eius cum christiana, ob idem paupertatis et εὐτελείας studium, quae maxime poetam sanctum iuvabant. At quanquam antiquos magna animi sinceritate laudat, aegre tamen eos laudare videtur, ac statim, quidquid vituperari possit libentius longiusque notat.

Πλεῖον γὰρ ἦν ἔνδειξις, ἢ καλοῦ πόθος. (V. 270)

Potissimum quidem exterioribus attenti, vix intimas animi affectiones veteres considerabant, vulgi potius opinionibus servientes quam Numinis aut conscientiae legibus obedientes. Nec paupertatem appetebant sed divitiarum curas fugiebant (270-275). Cum pessimis cupiditatibus abrepti fuissent, nullis verae paenitentiae stimulis cruciabantur, si modo corpora doloribus et vitam ab infamia prohibere possent. Divitiarum aut libidinum satietas plerosque beatos efficiebat, illamque vitam optabilem habebant quae dolore careret, voluptatibus vero abundaret. Quicumque autem divitiis diffluebant aut honoribus, ii fortunatissimi. Neque alia ratione virtutes quasdam, ut fortitudinem aut animi moderationem aut amorem in patriam benevolentiamque colebant, quam ut morbos a corpore, invidiam a nomine, inimicitias ob dignitates et curas ab animo arcerent ; adeo ostentatione magis ducerentur quam iustitiae amore. (v. 265-412). Etiam libenti animo male de viris illustribus dicta accipit, scilicet ut laudem eorum deprimat

(1) Col. 856 sqq.
(2) *De vita*, v. 1030, col. 1100.

(288-324). Quibus plures viros christianos ample, vi magna et laetitia quadam superbiente opponit. Paupertatem enim et abstinentiam a cibis, virginitatemque praedicat, quibus facile paganos christiani superant (1). Nec mirum : mutato enim humanae vitae fine ultimo, quem sibi a Deo destinatum homines noverunt, mutentur etiam viventium studia oportet. Cum christianus se ex Deo oriri adque Deum redire certo sciat, pro tantis bonis quid terrestria exsistimentur ? Quare instruant alii milites ad praelium ac plura patiantur, quam inferant mala, vulnerantes, gementes, dubioque Marte dimicantes aut divitias ementes sanguine. Terras vel saevum mare obeat mercator ; leges aliique iura sedulo innectant, parvi lucri gratia. « Mihi vero, inquit, dulcis ante omnia Christus, mihi emendus, et crux gravis ferenda. » (v. 456-466). Cuius exemplo fuere apostoli, vel monachi etiam exsistunt, quorum paupertatem Gregorius vitamque fere caelestem magno spiritu canit (467-579). Maxime vero gloriatur, cum eorum abstinentiam a corporeis voluptatibus laudibus extollit. Aliqua profecto apud Graecos aut barbaros reperias ; at perpauca nec cum nostrorum exemplis conferenda (636-775) (676-772). Quod magis etiam de castitate confitearis oportet. Nequaquam Gregorius Graecis nonnullos huius virtutis fuisse amatores detrahet, ex eoque magnam laudem meruisse, cum omnium flagitiorum deos patronos sibi haberent (774-874). At quam exigui pretii exempla ! Quantum e contra christiana sunt optimis proxima, cum lex eorum sancta non adulterium tantum, verum cogitationem etiam malam esse statuat ! Itaque tanta castitatis pulchritudine capti, homines innumeri mulieresque ut eam intactam servarent aut sanguinem fudere aut in solitudinem fugere (880-929). Maxime quidem Gregorium virginitas delectavit. Olim adulescens de virginitate perpetuo

(1) Vid. ep. *Ad Nemesium,* quam hic conferre utile erit, v. 68-110.

servanda etiam somno cogitabat, ut compertum ex illo somnio est, quod ipse refert quasi immissum caelitus fuisset, cuiusque memoria tantopere etiam senior gaudebat, ut magna suavitate illud caneret (1). Nec semel in carminibus quanta cura eam ipse inviolatam servaverit, nos ingenuis verbis edocet. Insuper in aliquot poematis, quorum duo praeclarissima (2), vi magna miroque candore animi laudes virginitatis celebrat. Primum enim ut originem tantae virtutis aperiat, sublimem illam Trinitatis generationem Gregorius penetrat, ac deinde post rerum procreationem grandi verbo narratam, Christum ex virgine natum ut virginitatem ad caelos tolleret, pio animo poeta veneratur, sicque eam coniugio comparat, ut ipsum omni commodo praestantiaque superet.

Iam igitur habes quae Gregorius de virtute senserit, quanam etiam ratione ea declaraverit. Nemini quidem non apparet munus nostrum haudquaquam in rebus ipsis iudicandis esse ; inde enim de paganis Gregorius facilem victoriam reportaret, et quanquam pulcherrima canit, tamen, quia sibi doctrinam vindicare nequit, ideo notam propriam ac singularem ex ea repetere nolim. At aliunde. Omitto, si placet, immensam illam eruditionem qua tot nomina philosophorum, eorum sententias, tot narratiunculas copiose facillimoque suis interposuit. Nec ea aspernanda, nec praecipua. Magis autem eo commoveor, quod omnia aliquid verum sincerumque sapiunt. Neque enim paupertatem laudando Senecam illum imitatur qui, divitiis superfluentibus, inopiae praestantiam declamatorie iactitabat. Verum ipse, bonis omnibus abiectis, sive cum summis honoribus ornaretur, sive dignitate abdicata, cum in solitudine lateret, ubique vitam asperam agebat (3). Quae etiam de abstinentia aut virginitate diceres, quippe qui virtutes eiusmodi

(1) *Poem. de seipso,* XLV, v. 205 et seq., 231.
(2) *Poem. Mor.,* I, II, VI.
(3) Vid. lib. 2, c. XLV, v. 140 et seq. — *Ibid.,* s. I, l. I , 63 et sqq.

Itaque in disciplinis ethnicorum christianorumque longe conferendis, tanta animi persuasio sinceritasque emicat et versus quasi imbuit, ut ea aliquo modo vibrent, illiusque calore ardeant. Quod si vel minimum legas, eum primum sentias. Qua quidem sinceritate raptus, etiam ad grandia inflammatione quadam animorum evehitur. Haec enim lege : « Lei tu puellas miraris..... aut Menecium sese morti offerentem.... Laudas etiam Socratem cicutam libenter haurientem. Laudo etiam ipse.... Sed velim te ad certamen athletarum meorum transferas, cum tot cruciatus, tot ac tanta pericula pro Christi nomine superata in memoriam revocaris ». Haec etiam : « Tu vero Pisam et pulverem Delphicum iactas et Nemeam et pinum Isthmiam.... Nunc ea mihi considera quae ad virtutem pertineant, quae potissimum ad castitatem... » (1) Atque alia similia praetermitto. Nonne tu has voces aliquid novum resonare iudices ? Quantum poesis illa philosophica, quae fortasse pulcherrima est, praestat ! Nihil enim siccum aut frigidum reperias ; at res etiam abstractae, inspirante fide christiana, impetu quodam et spiritu poetico vehementer rapiuntur. Quod si exemplum aliquod proprium singularis illius ingenii tibi requiras, equidem ex carmine IX desumam, quod eruditissimum elatissimumque est, in quo fortasse vis ingenii tota eminet. « Virtutem, ait, immaculatam, perfectam cupio... Quaero quis eam in terris invenerit. Bona semper immixta malis sunt. Saepe pedem in aethera tuli, sed me gravis et exitiosa cura in terram deiecit. Video meliora proboque, deteriora sequor ; duplex natura mea, altera sublimis, altera humilis ; mihi tenebrae sunt ; quis eas discutiat ? Primum huic dogmati adhaereo : Trinitatis pura natura exsistit : deinde angelica, tertia, mortalis, quae mea est... Gradior, Christo afflante, Christo iuvante... Neque Dei tantum donum est virtus...

(1) C. X, v. 676-732, 758-774, col. 734-735.

Quare, homo, si superbieris, in memoriam revocabo unde veneris, quis esses antea..... Si nimis abiecto animo fueris, cogita te esse Christi opus immortale, ac templum tibi virtute exornandum... » (1) (125-134).

Igitur subtilitas illa mirabilis et gravitas in doctrina declaranda, etsi fortasse, propter animi effusionem, eam generalius versibusque inopibus periculum dicendi erat ; altissima etiam illa cogitatio atque animi acies, quibus superbius nec tanta suavitate Pascalius noster adeo praestitit ; at maxime ars illa summa qua se ipse in carmina inducit, proprios sensus propriamque vitam effundit, eae sunt demum singulares Gregorii virtutes, quas in poematis theologicis adumbravimus, paulo magis quidem in philosophicis deprehendimus, copiosius vero in moralibus admirari licet. Utique poeticem novo quodam genere Gregorium locupletasse dixerim, in quo diversa duo et inter se contraria iungantur, et sententiae abstractae et commotiones affectusque animi ; quare, ne plura, carmina illa contemplationes didacticas merito fortasse nominarim (2).

(1) Pascalii nostri hic te memorem velim.

(2) Huc etiam spectarent gnomica poemata, sed vid. Append. B.

CAP. IV

De poesi satirica.

Nobis quidem inquirere studentibus quam proprie Gregorius Nazianzenus satira usus sit, haudquaquam animus est illum satiram christianam primum usurpasse asserendi, cum ab origine religionis novae repeti possit. Christus enim ipse Iesus subtiliter et aculeate Pharisaeos increpabat. Neque apud apostolos, maxime apud D. Paulum, vim satiricam difficile reperias. Qui etiam doctrinam christianam defendendam susceperunt, omnes ad adversarios impugnandos ideoque ad satiram necessitate inducebantur. Nec alia quam Tertulliani aut Cypriani nomina revocarim, quibus intellegas quam bellatorius eorum stilus fuerit. At oratores cum eis certavere, cuius exemplo orationibus in Iulianum imperatorem Gregorius esse potest. Itaque neque satiram invenit, quippe quae menti humanae ingenita sit, nec satiram christianam, modo vim ipsam satiricam cogites. Sed tamen primus, ut opinor, eiusmodi carminum exempla, saltem post Christum, apud Graecos dedit. Recte autem apud Graecos dico ; latini enim poemata huius generis iam tentaverant vel eadem aetate tentabant, de quo testes habeas Commodiani carmen apologeticum, sive carmen ad Senatorem, sive carmen in Flavianum, aut Paulini carmen contra Paganos aut libros Prudentianos in Symmacum. Nec mirum, cum a maioribus exempla perfectissima accepissent ; sed tamen a virtute Gregorii multum absunt, qui facile princeps in illo genere habendus est.

Magnam vero cum moralibus carminum satiricorum cognationem esse fateor. Nec tamen ea supra evolvere aut iudicare voluimus ; cuius ratio inde petenda est, quod primum nihil novi edoceremur, at praesertim quod aliquid singulare de ingenio Gregoriano contineret, cui incumbere operae pretium esset. Quorum poematum alia generatim vitia carpunt (1), alia vero ex condicionibus vitae Gregorii ipsius oriuntur (2). Igitur ordine singula persequemur.

Prioris vero generis satirici tria argumenta Gregorius subiicit, nimirum iracundiam, divitiarum aut honorum cupiditatem, mulierum lasciviam nimiumque ornatum ; qui loci communes sunt, in quibus, omni aetate, suo quisque modo, breviter aut severe singula praestringentes satirarum auctores exspatiati sunt. Tamen omissa ira de qua minus poetae agunt, diligenter cetera utpote communiora inspiciemus ; e quibus comparatio institui poterit, qua singularitas ingenii Gregoriani melius dignoscatur.

Multa profecto communia de divitiis refert, quod violentia, rapinis, calumniis ac subdolis artibus comparari soleant (3), aut post infinitos ob avaritiam labores susceptos, opes suas, quibus non utiliter fruiti sint, ignotis vel inimicis divites relinquere oporteat (4). Quae, ut iterum dicam, generalius in medio ponuntur nec a ceteris Gregorium secernunt. Innumera quidem ac sapienter poetae philosophive cum antiqui tum recentiores in divitias congessere ; scilicet quam laboriose acquirantur, quam citissime evanescant, quantis curis eorum usus corrumpatur, quibus animi vitiis et molestiis corporis escam et incitamenta praebeant, adeo ut, quidquid cogitet vulgus imperitum, longe optabilior sit pauperis quam divitis condicio.

(1) *Poem. moral.*, XXIV, XXV, XXVIII, XXIX.
(2) *Poem. histor.*, VIII, XI, XII, XIII. XLI.
(3) XXVIII, v. 32-69.
(4) *Ibid.*, v. 70-144.

« Aurum potentius est infinitis hominum sermonibus », inquiebat olim Euripides ; « sed, eheu ! quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames ? » ait Vergilius. « Dat census amicitias », canit Ovidius ; « sed timor et minae scandunt eodem quo dominus, neque decedit aerata triremi, et post equitem sedet atra cura. » Sic Horatius. « Quanto felicior sit hic qui nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem », exclamat Alexander, cum Diogenem testa bibentem vidisset. Cantat « vacuus coram latrone viator » et « nulla aconita bibuntur fictilibus » ; sed omnia timenda viro opulento, quanquam laudatur et quidquid libuit imperare potest. Haec et sescenta huiuscemodi apud paganos scriptores, quibus Gregorius consentit, nec eis acritate, varietate aut vi ironica (1) sese praebet imparem. Sed peculiaria quoque notes velim, cum eos vellicat, qui, horreis tritico plenis, alia obsignant, alia recludunt, habita ratione temporis, ut carius vendant, et ex alienis calamitatibus commoda sibi comparent (2). Unde vitium quorumdam aequalium fuisse collego, quod adversus magna acerbitate Gregorius invehitur, utpote qui eximio in pauperes amore ducatur. Quos iniuria potentiorum oppressos miseratur aut etiam quasi victus ira tuetur, quianon pauperes tantum sed paupertatem ipsam diligit. Quare divites lacessendo non inani et affectata rhetorum arte utitur, immo et verum in eos habere odium videtur. Sic ob inexplebilem cupiditatem eos Midae confert, optatque ut idem ipsis usu veniat, quod regi illi, aut iis qui manna in posterum diem fraudulenter asservabant, quorumque in sinu caelestis cibus faedissime putrefiebat (v. 148-150, 159-169). Haec ex animo tanquam e fonte exsiliunt, haec singularia.

At praecipue, nec mirum, tum novitas eminet, cum hu-

(1) V. 32-45.
(2) V. 70-79.

manis relictis, rationes ex fide desumit. Quid enim prodest pulchra de divitiis scribere, nisi ut vis ingenii et acies significetur. Nunquam ita homines ad meliora convertas. Quare primum Gregorius divitum animos ab opibus abalienare, cogitatione mortis proposita, satagit (v. 80-82, 332-340). Neque mortem tantum proponit, cuius memoriam etiam profani aut ethnici revocare possint, quaque saepe non a terrenis divellimur, immo ad ea quasi furiose amplectenda, quia nempe peritura sunt, impellimur. At audi Gregorium :

Μικρόν τι καὶ ὁ πλοῦτος ἐκβλυσθήσεται.
Μικρὸν μενῶ τι, καὶ προσέρχεθ' ἡ δίκη. (141-143)
Ἀλλ' ἡ τίσις μενεῖ σε τῶν ἐκπταισμένων. (v. 269) (1).

Quae quidem terribiliora audiuntur et magis ad emendationem proficiunt. Quid ergo ? malus ille dives omnem boni spem abiiciat. Absit : iudex quidem, sed pater etiam Deus (v. 313). Cuius tamen misericordiam ut sibi conciliet, beneficientia utatur ac de suo pauperibus elargiatur. « Da pauperibus velut bonis patronis.... Memento quoque Lazari » (v. 360-370). Qua conclusione, quaecumque in divites Nazianzenus congerit, ab iis toto caelo distare intellexeris, quae cuiusque aetatis philosophi aut satirarum scriptores in avaros acuto aut gravi stilo conscripsere. Etenim, afflante fide, declamationi iam non satis est aut acumine ingenii aut gravitate rationis excellere, sed amore condita satira iam vim habet persuadendi et suavitatem quamdam aliis multis profecto ignotam.

Sed magis etiam quantum valeat, Gregorius « carmine in mulieres nimis ornatas » significat. Nulla materia poetis communior. Gregorius vero muliebres tantum munditias carpit, sed, ut verum loquar, vertitur in eis summa mulieribus vitiorum. Primum quidem poeta noster generaliora removet, neque mulieres, verbi causa, elegantiae studiosas esse

(1) V. 340-345.

demonstrat; qua vero ratione mulieres illius aetatis huic studeant, id copiose declarat, ac ansam sibi sumit ut aculeate earum cultum seu exornandi curam describat. Sic acerbissimis lepidissimisque simul verbis eas vellicat, quaecumque capita tollunt instar turrium, adulteris crinibus, lascive inflectentes mollia colla, facies suas pigmentis et coloribus inungentes, ita ut non iam vultus humanos sed larvas prae se ferre videantur (v. 1-16). Quanquam risum movet eiusmodi pulchritudo,

Κάλλος, ὃ ῥυπτόμενον χαμάδις ῥέει οὐδὲ γέλωτι
Ἵστατ', ἐπὴν λύσῃ χάρμα παρειὰν ὅλην,
Καὶ δακρύων ὀχετοῖσιν ἐλέγχεται, ἰκμαλέῳ τε
Δείματι, καὶ ψεκάδος λύεται ἐξ ὀλίγης. (21-34)

ubi velim inspicias quanam arte singula Gregorius exactissime persequatur, et propria huius aetatis elegat, ita ut eiusmodi munditiae cum aliis alia aetate confundi nequeant, et liberius veriusque (1) ad naturam res exprimat (21-34). Nedum etiam asperius mordeat aut turpi contumelia afficiat, at contra sales ingenii acuti urbanique probaveris, qui risu tantum iucundo ridicula notet aut aculeo pungat. Quam ob urbanitatem et artem libenter ego Gregorio recentiori poetae, nimirum Racinio nostro componerem, qui epistulas aut epigrammata lepore et sale condita scripserit.

Verum Nazianzenus in eiusmodi studio elegantiarum describendi haudquaquam diutius immoratur, cum gravia inde sequantur. Mulieres enim insequitur, quarum nimius luxus et indecorus ornatus iuvenibus exempla et causas nequitiae, omnibus ruinae occasionem praebebat. Hic est enim exornationis finis, quidquid mulieres ad excusationem afferunt. Cuius fabulas quidem homericas, Pandoram, Helenam, Circeam, etc.

(1) Gallice : avec une pointe de réalisme.

aut etiam biblicas historias, Iezabel, Esther, Iudith, tanquam documenta Gregorius profert. Verum etsi mulieres istas acerbe exagitat, numquam tamen illiberalius, ne dicam turpius, eas carpit. Quod mirum dixerim ; plerique enim huius aetatis sive superioris moralium praeceptorum scriptores, nihil fere nisi convicia et probra, quotiescumque de mulieribus sermonem habent, proferre soliti sunt, quasi animal aliquod impurum esset. Ipse vero honeste semper ac reverenter de illis loquitur, ut etiam carmen « ad Olympiadem » praetermittam, in quo sponsis recenter matrimonio coniunctis sapientissima consilia proponit, quo feliciorem vitam honestioremque degant et praecepta sua gravitate lepidaque iucunditate conspergit. Quam agendi rationem benevolentia et comitate singularem non is mirabitur qui meminerit Gregorio matrem piam fuisse Nonnam, et sororem virginem Macrinam, quarum animi virtutes eximias simulque vitae innocentiam saepissime laudavit.

Quid tamen vitium illud tantopere mulieribus ingenitum emendet? Nihil enim prodest ostendere quam ridiculum sit aut quam breve ver pulchritudinis et hiemem asperam cito secuturam aut rugas aliquando simiam quoque propulsuras (v. 59-67. 133-188). Haec et similia Euripides, Horatius, Iuvenalis aliique iam dixere. At Gregorius Deum inducit mulieres fucatas severe increpantem immo et respuentem ; mulier enim fucata iam non opus divinum sed diabolicum idolum est. Cum similis graculo fiat plumis undique corrogatis superbienti, nonne idem ei timendum, quod graculo accidisse narrant, ne scilicet irrisioni turpiterque eiiciatur? (V. 45-49, 55-59).

Πανδώρης γένος εἰσὶν ἀναιδέες ἀλλὰ σὺ Χριστοῦ
Εἰκών, σωφροσύνη λάμπεο καὶ πραπίσιν. (125-126.)

Quibus graviter christianeque praeceptis satira Gregoriana supra leviora aut ingeniosius dicta extollitur. Nec laeta amaenitas abest qua mentes dulce foveat. Quod ut compertum ha-

beas, fictam lege de origine ruboris illius pudici, quo vultus humani suffunduntur, narratiunculam, quae atticam venustatem maxime redolet, cuius summa est : Deum, cum bonos a malis secernere vellet, rubore tinxisse genas bonorum, maxime mulierum, fuso sub pelle sanguine, cum turpitudo insurgeret ; malis vero densavisse sanguinem ideoque istos minime ob turpitudinem erubescere (v. 188-206). Igitur praeter subtilitatem ingenii qua vitia penetrantur et mordacem quamdam festivitatem in carpendo, adde christianam in singulis decentiam, affectum quoque amoris gravitatem condientem studiumque sanctum ex fide ortum quo praecepta igne quodam abscondito incenduntur, inde propriam ingenii Gregoriani in satira habeas imaginem. Quibus profecto cognoscas Nazianzenum nulli ex veteribus cedere aut etiam multos antiquos recentiores ve antecellere, ac demum novum genus satiricum creavisse.

Alia vero sunt poemata in quibus iam nulla vitia communia carpit, verum de se ipso loquitur. Quare non nullius momenti erit inquirere quomodo Gregorius in eiusmodi satira sese habuerit, cum praesertim is esset qui maxime etiam levissimis afficeretur, citissime quereretur acerrimeque, occasione data, adversarios pungeret.

Anno 381 concilium Episcoporum Orientalium Constantinopoli habitum est, in quo Gregorium electum omnes approbavere. Huic tum partes Melecii et Paulini de sede Antiochena disputantes componere contigit. « Sed, post mortem Melecii, neglecto pacto, ut qui alteri superstes esset, is toti Ecclesiae praeesset, de successore Melecio subrogando multi ad Concilium retulerunt. Maxime vero iuniores Episcopi qui, Valentis tempore, pulsis in exsilium orthodoxis praesulibus, sedes vacantes, Arianorum favore, occupaverant, tauto nomine ac munere saltem ex hac parte minus digni, contra Gregorium hac in quaestione surrexere, ab iisque seniores nimis facile se passi sunt abduci rationibus levibus innixi. Quae reluctatio

tantum eius animo dolorem iniecit, ut aegre etiam valetudine correptus de secessu cogitare coeperit. Interim Aegyptii Episcopi et Macedones, qui tum aberant, advenere, atque etiam Gregorio adversati sunt ». Quare Gregorius sese abdicavit a. 381 (1). At inde tantum dolorem cepit ut, etiam cum Ecclesiae Constantinopolitanae praeesset, carmen « Ad episcopos », deinde, in carmine « De vita » (2), innumeros versus ea de re scripserit. Primum adversarios quasi resupino vultu spectat interrogatque. Undenam isti qui ipsum indignum habuere ? alii caupones, alii a scribis improbis, alii a mensa et statuis, alii a ligone, alii navium sentinam redolentes...(3) Quaenam eorum scientia ? utantur pedestri sermone, utantur agresti ; philosophari licet. At omnia ignorant (4). Quales demum eorum mores? Domus, uxoris lascivia, mensa turgescens praeclarissimorum coquorum artibus... unguenta, risus, cantilenarum concentus, renidentes mulieribus.... haec sunt eorum ornamenta (5).

Neque ego ea acerbissime dicta aut iram redolere diffiteor. Etiam fortasse quispiam Gregorium insimulet, quod se ultionis studio rapi siverit ; quos enim indignos proclamat episcopos, ii potissimum de sede sua eum expulerunt ; igitur suspicionem iniicere potest quod res ultra modum adauxerit. Fateor, si placet. Tamen eum aliquo modo excusatum velim. Nam post sescentos labores, Ecclesia florente, a iuvenibus, ab ignotis, ab extraneis eiicitur, qui cum eo nulla ratione conferri possunt. Quidquid est, inde acerbitas, inde iracundia, inde ironia (6) seu poesis quaedam mirabilis efflorescit, vel potius, tanquam rivus igneus undique effluit. Etiam animad-

(1) *De vita* 1681-1765, lib. II, s. I. c. XII, 152-176, 136-147, c. XIX, c. X, c. XXX. — Cf. Fessler. *Instit. Patrol.*, t. I.

(2) Adde, lib. II, s. I, XII, XVII, XL.

(3) C. XII, v. 152 et seq. cf. XIII, 75-115.

(4) *Ibid.*, 295-330.

(5) *Ibid.*, 610 et seq.

(6) Cf. locos supra citatos.

verte, quaeso, nulla eum nomina proferre, universe tantum inimicos carpere, vera dicere, nec peccatum ipsius esse, quod adversarii pessimi puerint. Quare Gregorium minus irae obsequi dixerim quam suscepto dolori ob Ecclesiam vexatam et episcopalem dignitatem ad humum afflictam et populum exemplis ad malum conversum (1). Sic etiam non exiguis terminis satira eius circumscribitur, neque propria mala tantum, sed publica quoque exagitat. Non equidem omnia ad effigiem veri describi nec aliqua non augeri dixerim. At multos tamen huiusmodi episcopos ea aetate exstitisse non Gregorii solum sed aliorum testimoniis constat (2), nimirum ob superbiam, avaritiam, privatas contentiones, rixas, divitiarum cupiditatem, honorum et aurae popularis ambitum ignorantiam, rusticitatem, epulas et compotationes, mores corruptos, venalem demum indolem, indignos omnino qui rebus christianis praeficerentur; quibus vitiis accedebat haeretica perversitas, qua peste nulla perniciosior excogitari poterat. Itaque vim illam exagitandi carpendique summam ex vulnere alte reposito tibi repetere licet, — maior est enim quam ut id negem, — dummodo eum mala Ecclesiae in primis dolere, et maxime amore Dei tangi, unde tanta indignatio erumpit, et novum quoddam satirae genus, in quo virtutes ingenii fide reguntur, imbuuntur, ex illaque proprium aliquid sibi assumunt (3).

(1) C. XIII, v. 18-26, v. 27-31, col. 1229.

(2) Cf. Clémencet. *Pat. Graec.*, t. XXXV, col. 54 et seq.

(3) Etiam in amicum Basilium acerbissime invehitur (*ep.* 48, 49, 50; *Poem. Hist.* XI. De vita, v. 385-485, col. 1055-1062) quod eum Sasimensi Ecclesiae invitum praefecerat. Itaque nonnulli scriptores graviter eius agendi rationem increpaverunt — (Broglie. *L'Eglise au IV*e *s.*, t. I, p. 151. — Grenier. *S. Grégoire de Nazianze,* p. 60. — Darras. *Histoire de l'Eglise,* t. X, p. 331). At severius, ut opinor. Profecto aliquid minus episcopo dignum obiicere Gregorius videbatur, scilicet quod Sasima locus ignobilis erat et opibus destitutus, ideoque per honoris speciem ignominia affectus fuerat. Male igitur hac parte senserit. Sed neque ea praecipua eius ratio. Basilium fortasse non immerito insimulabat, quod ipsum vitae monasticae studiosum, ipsum etiam humili sensu renuentem, tamen ille episcopum vi ac

Dixi modo Gregorium etiam in satiris acerbissimis nullius nomina proferre. Unum tamen excipias nempe Maximum, olim philosophum cynicum, deinde in locum Gregorii sceleratis fraudibus suppositum. Quibus vero artibus iste « Proteus » alter Gregorii primum miserationem, deinde laudes fiduciamque, ac postremo amicitiam surripuerit, poeta ore candido ipse narrat (1); quonam etiam pacto venales episcopi eum Ecclesiae Constantinopolitanae praefecerint. Profecto asperrima multa, ut supra retulimus, in episcopos congerit. At Maximum carpendo ultra modum omnem progreditur, in quem ludibria ingeminat, comam, baculum, ignorantiam irridet, moribus demum notam inurit. Facetias enim, iocos, atra verba, indignationem in vicem poetae subministrare iracundiam credideris ; quam excusatione dignam, ne fere iustam dicas, si amicitiae leges violatas, pudorem deceptionis, tam indignum hominem ei praelatum fuisse cogites. Insuper iniquum deturbatorem a quo depulsus est, et episcopum falsum Apollinaristarum erroribus addictum vi maxima insectando, inimicum simul et pestem publicam exagitat. Quae vis singulariter irridendi etiam magis accenditur, postquam Gregorius Maximum versus ad haereticam doctrinam propagandam condere au-

fraude creaverat, ut sibi Sasimam servaret, quanquam alii melius, ut aiebat, eiusmodi propositum explere poterant. Non igitur inique querebatur quod amicus amicitiae iura violaverat. Praeterea imparem sese tanto oneri sustinendo dictitabat, praesertim cum ad sedem occupandam pugnandum armis esset. Iurgia enim vir quietus mitisque refugiebat, eo magis quod inter episcopos incendebantur ; quare malum inde exemplum hominibus proferre nolebat. Nonne Basilio prudentiorem sese ferret ? Quiquid est, ultra modum, si placet, in querelis excesserit, dum modo Basilium inique pro merito ac dignitate Gregorii, etiam pro amicitia egisse, atque inde magnam excusationem Gregorium habuisse fatearis. Ceterum neque eiusmodi querelae tantam amicitiam exstinxere. Nazianzenus enim Basilii paulo post defensionem suscepit cum erroris de Spiritu Sancto accusaretur (*ep.* 58, 59 ; *or.* XIII); eiusque post mortem oratione praeclarissima laudibus amicum cumulavit.

(1) *De vita*, 750 et seq.

diit (1). Quae inhumaniter aut illepide aut etiam crasse dicta ne quis exsistimet, ille qualia Demosthenes in Æschinum coniecerit, aut Aristophanes in Euripidem adversariosque meminisse velit. Quid vere atticum sonet, quid barbarum, quid elegans aut inurbanum et ultra limites festivae iucunditatis salsaeque dicacitatis seponere difficillimum erit, ideoque scriptorem damnare qui Graecorum libros omnes, a magno illo Homero ad Iulianum usque imperatorem, intus et cute novisset, id huius nostrae aetatis iudici vel eruditissimo temerarium videbitur. Quod si de episcopo quaestio agatur, nulla iam lis erit.

Verum ex dictis quid Gregorius in satira sibi proprium ac singulare sibi iure vindicet, nobis observare licet, nimirum vim sentiendi mirabilem, qua malis suis aut doloribus Ecclesiae maxime afficiatur, vim etiam ingenii eximiam ut sensus acerrime exprimat, sive propriam causam tuetur, sive adversarios lacessit, maxime vero aliquid christianum quo omnia illustrantur aut incenduntur etiamque temperantur.

(3) *Poem. Histor.* Adversus Maximum XLI.

CAP. V

De poesi lyrica.

Iam opera Gregorii aggredimur, in quibus novitas ac singularitas ingenii maxime emicat. Cum enim carmina theologica conderet, temporum necessitatibus obsequebatur, eique satis erat ut subtiliter doctrinam exponeret, spiritu quodam christiano inspirante. Qua ratione haereticis proximus erat, etsi longo intervallo stabant. Carminibus vero philosophicis magis praestabat, quibus nihil simile ceteri christiani poetae praeberent, cum hymnos tantum aut paraphrases aut historias versibus intextas conscripsissent. At Gregorius primus carmina concepit, in quibus gravissimae quaestiones metaphysicae vel morales agerentur, formamque pulcherrimam iniret. Quae tamen, utpote ex proposito certo condita, artem aut eruditionem magis sapiebant. Verum alia multa sunt, nempe de seipso, ex ingenio redundanti progenita, quae maxime ex animo profluxere, ac duo singularia manifestant, unum, scilicet mollitiem quamdam ac teneritatem animi, alterum, incredibilem quamdam maestitiam seu melancholiam, sive etiam quem vocant recentiores « pessimismum ». Quae magna cura nobis inquirenda.

Praeter poemata IX, XII, XIV, XV, XVI ex moralibus, omnia quae in editionis Maurinae libri secundi sectione prima, a numero XIX ad numerum LXXXIX usque, habentur, ea continent quae maxime Gregorii propria sunt eique innata. Quae quidem carmina *θρῆνον*, *θρηνητικόν*, *ἱκετήριον εἰς Χριστόν*, *εἰς*

τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν, περὶ τὴς φύσεως ἀνθρωπίνης, περὶ τῶν τοῦ βίου ὁδῶν... ipse inscribit. Quare, omisso communi lyricorum carminum nomine, suum cuique indere difficillimum est. Quae si elegiaca vocaveris, moneat forte quispiam Gregorium hoc nomine unum tantum designasse (l. 2, s. I, c. 23). Quia tamen pars eorum maior speciem elegiaci carminis referunt, ac cetera, proprio genere deficiente, elegiae propiora sunt, mihi liceat elegiarum uti nomine. Quas ut accuratius clariusque cognoscere possimus, alias in elegias maiores, alias in minores dividemus.

Priores admodum paucae numerantur c. *περὶ τῆς φύσεως ἀνθρωπίνης* (l. I, s. 2, c. 14), c. *περὶ τὴς τοῦ ἐκτὸς ἀνθρώπου εὐτελείας* (c. 15), c. *περὶ τῆς τοῦ βίου ματαιότητος καὶ ἀπιστίας καὶ κοινοῦ πάντων τέλους* (l. 2, s. 1, c. 32), c. *περὶ τῶν τοῦ βίου ὁδῶν* (l. I, s. 2, c. 16) et c. *θρῆνος περὶ τῶν τοῦ αὐτοῦ ψυχῆς πάθων* (l. I, s. 1, c. 45). Etsi carminibus didacticis proxima sunt nec omnia elegiarum propria habent, hic tamen ea repetimus, quia, ut supra monui, elegiaco generi propiora sunt (1).

Praecipuum eorum argumentum in animi motibus ponitur, qui ex vitae vicissitudinibus exoriuntur. Quis homo ? undenam animus ? quis finis ? corpus animusque inter se pugnant ; unde eiusmodi pugna ? Corpus quidem ex corruptione gignitur, malis premitur et corruptione etiam cito perit. Animum vero imaginem Dei dicunt ; quare igitur si divina particula sit, vitio delectetur ? Eheu ! quis tantam repugnantiam declaret ? (l. I, s. 2, c. XIV). Insuper quid vita humana miserabilius ? (ibid., c. XV). Animalibus quidem omnibus quaecumque necessaria aut robusta aut etiam pulchra iam ob ortu suppetunt. At nihil homine debilius ; multis laboribus gignitur, alitur, adolescit, et ad senectutem usque malis circumdatur, ita ut e sepulcro exiliens ad sepulcrum currere videatur (v. 133).

(1) Cf. Schubach, lib. I, cap. III, p. 33-34, etiam cap. I, p. 10.

Vita quidem nostra, tractus infidissimus est, fluxus ferus, aestus maris (c. XV, v. 55). Quod si omnia bona, omniaque vitae mala appenderis, aequa examina trahens, malorum lanx ad terram vergat, bonorum lanx sursum feratur, adeo omnes huius vitae viae hominibus coniunctae sunt cum molestiis, et ipsa, quae bona habentur, multis miscentur incommodis (v. 59 et sqq.). Quid est etiam vita? Rota quaedam instabilis (c. XIX) aut pulvis impetu ventorum undique iactatus. Quibus malis in unumquemque hominem cadentibus, alias quoque Gregorius addit calamitates, quibus ipse solus affligitur, ita ut cantilena sit Orienti atque Occidenti, tantorum que malorum finem et miserrimae huius vitae exitum a Christo flagitet (l. II, s. I, c. XIX).

Profecto eiusmodi querimonias legenti, modo litterarum antiquarum vel leviter peritus sit, Gregorius iisdem fere vocibus et aliquot sententiis uti videbitur quas veteres usurpabant.

Sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt,

ait Vergilius, cuius verba nimis artificiose accipi solent. Tristitiae enim vestigia facile detegeres in libris veterum poetarum vel eorum qui voluptates canere in animum induxerunt. Nam consanguineum quid tristitia vitae est, neque vivere sine luctu mortalibus conceditur. Taedium vero et vivendi satietatem nullus fortasse antiquorum poetarum vehementius expressit quam Ovidius.

....Usque adeo nulla est sincera voluptas,
Sollicitumque aliquid laetis intervenit....

Nam

Miscentur tristia laetis.
Impia sub dulci melle venena latent.

Notissimi quoque sunt loci, in quibus nihil esse ab omni parte beatum Horatius asserit, aut semper aliquid amari e voluptatibus surgere queritur Lucretius. Quin etiam principem locum in Horatii carminibus gaudium an dolor habeat incertum est,

adeo vel conviviis et potationibus pallida mors proxime adsidet, adeo breves sunt rosae quibus caput redimitur ! Multis et ante saeculis inquietum Achillem et maestitia confectum Homerus adduxerat « solo secum in littore » lyra curas allevantem (1). Pindarus etiam, Sophocles, Euripides de huius vitae brevitate ac vanitate conqueruntur (2).

At praeterquam quod antiqui non in misera vitae condicione contemplanda, ut Gregorius, exspatiantur, verum uno aut altero verbo, uno aut altero loco, paucis versibus tristitiam animi exprimunt, insuper non altas ad radices eius descendunt. Aliter Gregorius. Hanc enim ex ipsa natura humana repetit, quae, utpote duplici elemento constituta, uno, spirituali atque immortali, altero, terreno mortalique, contrarietate quadam fatali dilaceratur. Inde perturbationes animi, inde dissidia aut intestina pugna (3). Hinc dolor quidam metaphysicus veteribus omnino fere ignotus. Aliam quoque causam novamque promit, quam christiana religio suasit, scilicet « parentis primi deceptionem et matris nefandam transgressionem, quae fuit libidinis nostrae origo » (4). Quapropter. Gregorianam tristitiam neque vanam neque affectatam dixeris, verum ex intimo animi naturaeque recessu orta (5) tibi videbitur, firmisque innixa rationibus.

Praeterea causam antiquis tristitiae morbi corporis, aut divitiarum ipsiusve libertatis iactura, aut mors parentum, aut decepti amores aut officiorum immemor amicitia parie-

(1) Cf. *Iliad,* l. XVII, 446 ; *Odys,* XVIII, v. 130.

(2) Sophocles Aj., v. 125. — P. E. Lassaulx : *de mortis dominatu in veteres ;* et Fr. Hettinger : *Apologie des Christenthums,* B. I, s. 412.

(3) L. I, s. 2, c. XIX, v. 64-68, v. 70, lib. I, s. I, c. VIII, v. 1-2, l. 2, s. 1, c. XLVI.

(4) L. 2, s. I, c. XL, v. 67 sqq., c. XIV, v. 67 sqq., l. I, s. 1, c. IV, v. 49.

(5) In quo a Synesio discrepat qui philosophicam tantum generalioremque de humana vilitate disputationem instituit. Etiam intimo illo proprioque sensu Ephremum praestat, qui carminibus funebribus mortem universe nimis celebrat.

bant ; Gregorio autem nostro bonorum praesentium et caducorum contemptu, futurorum et aeternorum desiderio procreatur. Itaque sublimior dicenda.

In aliis etiam diversa deprehendas. Antiquorum vero, cum nihil stabile in rebus humanis esse viderent veraque doctrina carerent, huius vitae miserias doloresque effugiendi cupiditas simul mortis timor animos miscebant. Multi vero recentiores, quia felicitatem in hac vita quaerunt nec invenire queunt, aut partes naturae frustra investigare perscrutarique satagunt, aut ad calamitates miseriasque tantum mentem defigunt, tunc isti insanabili dolore lacerantur, Deum maledictis imprecantur, aut doloribus ipsis gloriantur, eosque versibus ob solatium effundunt vel sibi ipsi mortem conciscunt. Neque ego Gregorium aliquid iis proximum sentire aliquando infitior. Sic dubitatio quaedam animi non abest (v. 17, 18). « Quis fuerim, quis sim, quid futurus sim non clare perspicio, sed nec aliquis qui me sapientia superet » (2). Aliaque similia. Noli tamen tibi Gregorium vere dubitantem tibi effingere, sed ignorantiam tantum simulantem ut quaerendo veritatem inveniat lectorique confirmet. Quod si eum tamen de tenebris humanae mentis vere querentem velis (3), eae sunt quae plenam rerum ultra fines nostros positarum intellegentiam nebulis obtegunt. Ceterum Nazianzenus dubitationem consistere iubet. « Non me frustra Deus creavit... Nunc tenebrae : rursus postea ratio, omnia perspicies, aut Deum videns, aut igne cruciatus » (4); atque ita semper animum sollicitum fide ac spe christiana erigit.

Iuterdum etiam desperato quodam tangitur affectu animi, quum « ridet gravem mortem, conceptam in visceribus, gra-

(1) L. I, s. 2, c. XIV, l. I, s. 2, c. XV.
(2) L. I, s. 2, c. XIV, 17.
(3) *Ibid.*, c. XV, IX.
(4) C. XIV, 123-126.

tamque sibi esse perniciem declarat (1). Omnia labor mortalibus, omnia risus (2); profecto Dei ludibrium homoest θεοῖο παίγνιον (3) ». Sed in eiusmodi verba quasi inscius animi commotione abripitur, nec diu immoratur, sed ad pedes Christi confugit cuius crucem anuplectitur : « unam habeo crucem, meae vitae lucidam columnam... (4) unum solum hominibus bonum ac firmum est hinc erumpere tollendo crucem (5). » Sic memoria Christi morientis dolores allevat, ac spe caelestium bonorum omnia aspera tolerat (6). Igitur toto caelo recentiorum desperatio a vera illa ac virili tristitia differt, quae in carminibus Gregorianis spirare identidem videtur. Quae etiam cum altissimos acerbissimosque eiulatus edit, nihil verae desperationis admittit, nihil desidiae, nihil ignavum : nec otiosis somniis aut blanditiis corruptelarum alitur, sed piarum precum subsidio ad Deum confugit, quo fortitudo nunc et robur animi, deinde vero solatium aeternum speratur (7).

Quod si a me quaeris qua ratione factum sit, ut Gregorius tristitiae et dubitationis quasi undis iactaretur, te varias curas vitae et calamitates recordari velim, molestias post mortem Caesarii fratris, dissidia cum Basilio ob Ecclesiam Sasimensem, labores in Ecclesia Constantinopolitana administranda, inimicorum fraudes, invidias, morbos corporis, sed praesertum animi dolores aut vexationes quas pati se querebatur, quaeque sive a carne « bestia saeviente » (8) oriebantur, sive a diabolo excitabantur. Quorum etiam vim ac dolorem acutis-

(1) L. I, s. 2, c. IX, v. 40.
(2) C. XVI, v. 22.
(3) C. XV, v. 142. — Cf. Platonem. *Legg.* I, 219, VII, 32, ubi ipse hominem vocat θεοῦ παίγνιον.
(4) C. XV, 147-sqq.
(5) C. XVI, 33-35.
(6) *Ibid.*, cf. lib. 2, s. I, c. XIX, 83 sqq.
(7) Cf. Schubach., p. 11-20.
(8) Cf. l. 2, s. I, c. 46 ; l. 1, s. 2, c. 14, v. 49 sqq.

sima sentiendi facultas nimis augebat, et memoria, cum in otium ac solitudinem se recepit, progrediente senectute, exulcerabat. Denique praeter eiusmodi causas, alius tristitiae fons e christiana religione emicabat, atque philosophicae, ut ita dicam, melancholiae, altera religiosa adiiciebatur, qua nihil iam cum veteribus commune haberet.

Vir enim christianus ex Evangelio expletam quamdam ac perfectam virtutis speciem, quam totis animi viribus assequi conatur, quo demum impetu quodam acerrimo rapitur :

> Ἤθελον ἢὲ πέλεια τανύπτερος, ἢὲ χελιδὼν
> Ἔμμεναι, ὥς κε φύγοιμι βροτῶν βίον.... (1)

Saepe in aera pedem tulit, saepius etiam in terram eum exitiosa cura deiecit (2). Carnis enim pondere gravatur, quae animum a caelestibus removet et ad humilia vel turpia trahit (3). Inde eiusmodi repugnantia et contrarietate humana natura tanquam discinditur. « Si nihil sum, Christe, quid me finxisti ? si in pretio tibi sum, cur tot malis premor » (4). Cum mentem Deo intendere cupio, ad ima malaque vehementer trahor » (5). Exsulem quoque et quasi peregrinum in hoc orbe terrarum sese reputat, inflammatoque animi ardore in caelestem patriam evehitur. Hinc habes novam tristitiam antiquisque penitus ignotam, qua elegiae multae perfunduntur : Hinc demum novum genus poeseos efficitur, scilicet christiana elegia (6).

Etsi non omnino singula de elegiis persecuti simus quas supra maiores vocavimus, eas tamen ex dictis maximi pretii

(1) *Poem. de seipso* XXXII, 1-2.

(2) L. I, s. 2, c. IX, 26. — Cf. *ibid.* I, v. 493, aut XLV, v. 165 et sqq, c. LI, v. 25 sqq.

(3) L. 2, s. I, c. XLI.

(4) L. II, s. 1, c. XXXI. — Cf. *ibid.* XXII.

(5) *Ibid.*, v. 493.

(6) Cf. A. Puech. *Prudence*, p. 149 sqq.

esse fatearis ; quibus pauca tantum de varietate eiusmodi carminum addiderim. Aliis enim poeta dolores suos ubertate quadam epica describit. Sic in carmine XV, in quo externam hominis condicionem, nosque animalibus ratione carentibus inferiores esse queritur (1). Carmine vero XIV philosophica quadam meditatione tristitiam, quam supra designavi metaphysicam, proponit. Alio quidem poemate (XLV) totus est in flebili quadam lamentatione, qua Psalmista aut Iob ipse in memoriam nobis revocantur ; aliud vero precatione quadam ardentissima continetur, qua Christi misericordiam obsecratur (v. 85 sqq). Eminet etiam breve carmen « De vitae itineribus », in quibus duo Anthologiae carmina, unum Posidippi sive Platonis Comici, alterum Metrodori argumento formaque Gregorius imitatur (2). Etenim quae bonis mala immiscentur, ironice exponit, et sententiarum concinnitate aut contrapositorum elegantia placet. Atque haec satis erunt ut lyricam praestantiam Gregorii intellegas.

Iam alteram elegiarum minorum partem aggredior, quae libri II sectionis I numeris XLII-LC exstant, ubi Gregorius animi timores, angores aut iterum dubitationes, humiles ad Deum preces aut fervidos amoris impetus, dolorem quoque de culpis, ac daemonum vexationes (3) versibus exprimit. Quam animi affectionem initio carminis XLV « *De animi calamitatibus* » tibi descriptam habebis : « Eheu ! miser qualia passus sum ! Quis mihi dignus erit gemitus !.... Nec filiorum suorum mortem quisquam tantum deflevit nec venerabilium parentum..... quantum ego lamentor animam quae gravissima passa est... (1-10) Alia vero aliis carminibus depingit ; modo animum dubitationibus agitatum (4), modo culpis faedatum (5)

(1) L. I, s. 2, v. 89 et sqq. — Cf. XXXII.
(2) *Anthol. Palatinae,* l. IX, 359, 360. — Cf. Schubach, p. 30.
(3) Vid. Append. C.
(4) C. LXXVIII.
(5) C. LI.

proponit ; aut diaboli tentationes vexationesque deplorat (1) aut Deum caelestemque Trinitatem penitus cognoscendi studio rapitur. Quibus tibi constare potest quantum iis etiam cum veteribus discrepet. Poetae enim antiqui praecipue motus exprimunt, qui a rebus extra nos positis oriuntur, et naturaliter, si dicere liceat, animum afficiunt, nimirum morbos, mortem parentum aut amicorum, vitam citius amissam, laeta convivia, amorem patriae, amoris etiam gaudia luctusque etc, neque ultra hos fines progredi videntur. Gregorius vero praecipuum argumentum habet, nempe ipsum animum, ea etiam quae de se ipse sentiat ac meditetur aut cogitationem motuumve copiam quibus tangitur, ac ne plura, intimam illam vitam quae homines latet, Deoque soli patet. Quam excellentiam profecto e religione christiana hausit, quae omnia ad ipsum hominem refert, curas ad vitam internam magis devertit, animique latebras quasi sol novus illustrat. Igitur novam quamdam et incognitam poeseos provinciam Gregorius aperuit. Neque enim aliquid bis repetitum in elegiis maioribus explico, cum istis, ea praesertim quae omnibus hominibus communia sunt, depingat, minoribus vero sese magis in suis ipsius affectibus exprimendis contineat. Haec autem eius est describendi via : postquam primum querimonias effudit, totus est in calamitatibus vitae deplorandis ; deinde, exstinctis lamentationibus, firmissimae spei ac felicitatis voces resonat. Hinc intellegas neque de illa commentitia animi aegritudine agi neque de illo subtristi colore, quo aetatis superioris vel etiam praesentis homines sua poemata fucare consueverunt. Ea enim est melancholia quae vires frangat rebus agendis necessarias, inertemque et inermem animum pessimis cupiditatum malarum incursibus subiiciat, neque ad Deum mentes convertat.

(1) C. L, LIV-LX.

Formae vero huiusmodi elegiarum maxime varietas laudanda mihi est ; aliquot enim canticis, quos θρήνους vocat, animi motus, alios mollius, alios fortius exprimit (1) ; modo sermones instituit, quibus ipse secum loquitur (2), modo colloquia cum matre morte defuncta (3) ; carminibus aliis mente demissa Christum precatur (4); aliis vero morbum levari cupit aut mortem invocat (5) ; aliis demum sibi ipse solatium animosque addit (6). Neque tamen omnibus istis elegiis laudes integras tribuere velim ; etsi enim ex vera animi commotione oriuntur, et in aliquot nihil fere elegantiae aut artis desiderandum est (7), tamen maior eorum pars sententiarum pondere caret, neglegentius aut copiosius describuntur. Neque tamen ea obstant, quin ingenium Gregorianum laude lyrica extollam. Si quid enim proprium, si quid novum Nazianzeno vindicem, non mollitiem animi tantum et vim sentiendi mirabilem, verum etiam ac in primis melancholiam seu « pessimismum » vel potius tristitiam quamdam christianam dixerim, qua poetarum recentiorum similem pariter atque ab eis diversum sese praebeat. Idem enim queritur, idem dolet, verum aliter ; itaque hac etiam parte viam novae poesis indicavit.

(1) L. 2, s. I, c. 49, 52 ; 53, 61, 65, 75, 76, 84.
(2) L. 2, s. I, c. 67, 70, 77, 89.
(3) *Ibid.*, c. 60, 71, 82.
(4) *Ibid.*, c. 66, 74.
(5) *Ibid.*, c. 32, 71, 72.
(6) *Ibid.*, c. 73, 86, 87.
(7) *Ibid.*, c. 42, 43.

CAP. VI

De Gregoriano genere dicendi.

Sed quantavis singularitate et novitate Gregoriana poesis, rebus aut sententiis perpensis, emineat, aliquid maximum deesset, nisi genere quoque dicendi valeret. Nullum enim monumentum, arte componendi scribendive desiderata, « aere perennius » exigas. Haec igitur quaestio nunc nobis agitanda. Verum ut via quasi aperiatur, defectus nonnullos aut vitia, ante quam de eiusmodi genere dicendi disputem, prius notare velim.

Primum quidem carmina quaedam altissimae theologiae mysteria nudius proponere, difficultates solvere aut errores grassantes refellere merito iudices; alia, nempe aliquot moralia et historica, longiuscula sunt, verbosa, neque enumerationis diffusae satietatem effugerunt ; alia crebrius eadem dicere, querelas de malis saepius ingeminare fatear. Huiusmodi sunt elegiae multae quae senilem quamdam loquacitatem redolent. Igitur, Gregorio nimis sibi indulgente, sententia extenuatur, versus aliquando aut etiam saepissime languescunt, cotidianoque sunt sermoni simillima. Adde quod limae labor haud raro deest. Quae profecto senectutis fragilitati aut imbecillitati tribuenda sunt, aut quaedam alia rhetoricis etiam moribus ; sic, ut exempla duo proferam, in carmine, « de vita », procellam quamdam fusius narrando delectatur ; alio etiam poemate querelas de calamitatibus suis intermittit, ut somnium de Castitate ac Temperantia poetice describat (1). Quibus

(1) Lib. 2, s. 1, c. XLV, 229-266.

non ego infitior Gregorium peccare et deteriorem esse veteribus quos aemuletur; tamen si dicendi formam inspiciamus, poemata Nazianzeni haud parvi pretii esse cognoverimus.

Maxima quidem erat Gregorio difficultas, cum carmina texeret, superanda. In tanta enim rerum conversione seu mutatione, litterae, quae aetatis cuiusque mores effingere solent, insolitum colorem duxere, et in aliam omnino formam abiere. Quod iam antea Tullius testatur, cui philosophiam graecam ad Romanos transferre meditanti nova passim vocabula latine excudenda aut e graeco fonte derivanda fuere, quibus res Romanis indictas apte significaret. Idem Nazianzeno ceterisque poetis christianis accidit, cum nova dogmata aut praecepta declarare studuerunt; scilicet longe a veterum doctrinis aliena erant. Inde lingua nova exstitit.

Hic autem obiter animadvertendum est multo praeclarius cum Graecis quam cum latinis scriptoribus christianis actum fuisse, neque tantum Alexandrino Clementi, Gregorio Nazianzeno, Apollinaribus aut Synesio adlaborandum, ut novam doctrinam graecis iisdemque propriis vocabulis etiam poetice exprimerent. Hoc enim habet praecipuum lingua graeca, quod et magna verborum ubertate circumfluit, et verborum ea forma est figuraque, ut ad varias humanarum cogitationum vices apposite effingendas sint omnino accommodata. Ad ubertatem quidem quod attinet, vix ulla fingi potest animo cuiusquam rei species, quae non peculiare iam vocabulum sortita sit, aut callidis duorum vel plurium iuncturis acquirere queat. Flexibilitatem enim mentis par vocabulorum facilitas consequitur, ita ut non varios tantum corporis habitus aut imagines rerum quae sensus movent, verum etiam tenuissimas animorum sententias et argumentorum genera exprimere valeant.

Ea igitur est graecae linguae commoditas, si a perito artifice tractetur, ut in cuiusque rei formas quasi cerea transeat, laeta

iucunde, tristia severe, dura aspere, lenia suaviter dicat, nec solum mentis interpres, sed ipsius naturae vox exsistimetur. Inde tanta fuit et tam praeclara scriptorum et operum copia, scilicet a Troiani belli temporibus ad illas incursiones barbarorum magnasque gentium migrationes, quibus imperii romani moles disiecta fuit, immo et ad iniquissimam illam aetatem, cum a Mahumetanis oppugnata fuit Constantinopolitana civitas.

Quos vero duces habuerit et magistros Gregorius, iam indagare coepimus. Adeo enim operibus antiquis incubuit, ut poemata eius aliquid proprietatis et linguae graecae retineant. Quatenus tamen et quem ad modum, nobis quaerendum est.

Primum vero carmina quae hexametris composita sunt, non solum idem metrum atque Homerus, sed etiam dictionem prorsus homericam exhibent. Cum autem viro vel minimum operum homericorum perito, modo attente Gregoriana legat, ea facile comperta erunt, nolo diutius in eiusmodi inquisitione immorari. Non deerunt tamen exempla in medio prolata.

De Gregorio Homeri imitatore (1).

Poem. Dogm. IV, v. 47, ὑπεροπλίῃσι.

Cf. *Iliad.*, I, 205.

Ib. V, v. 42, ὥρια πάντα.

Odys., IX, 131.

Ib. VII, v. 32, πολλὰ δὲ οἱ κραδίῃ πορφύρεται ἀμφὶ ρεέθρῳ.

Cf. *Iliad.*, 21, 551.

Odys., 4-427, 572 ; 10-309.

Ib. VIII, v. 7, πυρὸς μαλέροιο.

Iliad., 9-242.

v. 113, παραιφασίῃσι πιθήσας — homericum est.

(1) Cf. E. Dronke. *S. Gregorii Ñazianzeni Carmina selecta*, 1840. — A. Ludwich. *Rheinisches Museum für Philologie*. Frankfurt-a-M., 1887.

Ib. IX, v. 13, κακὸν καὶ κῆρα φυτεῦσαι.
Iliad., 15, 134.
Odys., 2, 165.
v. 23, οἱ πλέονες κακίους.
Particula versus ex *Odys.*, 2, 277.
Poem. Moral. v. 16, ἀργυρέη, vox homerica.
Ib. v. 45, Δάκρυα θερμὰ χέων.
Iliad., 10-3.
18-17, 235.
v. 141, ναῦν μιλτοπάρηον.
Iliad., 2-637.
Od., 9-125.
v. 142, ἐπὶ νῶτα θαλάσσης.
Omisso adiectivo εὐρέα, hemistichium homericum.
Ib. c. XIV, v. 1, χθιζός — οἶος ἀπ ' ἄλλων.
Homericum utrumque.
v. 7, θυμῷ κεκαφηότι.
Sumptum ab Homero.
v. 19, ...αὐτὸς... ἔνθα καὶ ἔνθα, clausula versus homerica.
Iliad., κ. 264, σ. 543.
Od., ε. 327, 330.
v. 39, γῆρας ὀλοίϊον, homericum est.
v. 57, ἔξετι τοῦ ὅτε...
Iliad., 9-106.
v. 104, ἠερόεντα.
Iliad., 8-13.
Ib. c. XV, v. 14, λόχμης πυκινῆς.
Od., 12-439.
v. 37, περισταδὸν, ἄλλοθεν ἄλλος hemistichium homericum.
Iliad., 13-551.
v. 81, versus Homeri. *Iliad.*, 11-70, 10-770.
v. 83, it. » 9-529.
v. 84, Primum hemistichium. *Iliad.*, 9-548.

P. M. c. XVII, v. 7, κτεάτεσσιν.
Od., 4-93.
P. H. c. XLV, v. 103. βροτῶν δηλήμονα.
Cf. *Od.*, 18-85, 116 ; 21-308.
v. 173, ὦ μέλεοι, θανάτοιο... Cf. Eur. *Or.* 1027.
C. XLII.
v. 17, κῦδος ὀπάσσῃς, clausula homerica.
Iliad., 7-205.
C. LI, v. 17, τά τε χθὼν ἐστεφάνωται.
Iliad., 18-485.
v. 21, ἀδήριτον, οὐκ ἐπὶ δηρόν.
Cf. *Iliad.*, 17-41, 42.

Haec ex Homero. Iisdem vero in carminibus duo tantum ex Hesiodo.

P. D. c. VIII, v. 42, λακέρυζα κορώνη.
Hesiod, O. et D. 747.
P. M. XIV, v. 104, ἠερόεντα.
Hesiod. Theog., 119.

duo etiam ex Theocrito.

P. D. c. VIII, v. 37, ἐτώσια μοχθίζοντες.
Theoc., 1-38, 7-48.
P. M. v. 9, τέττιγες λαλαγεῦντες.
Théoc., I, 1.

duo ex Apollonio. Rh.

II. 1, c. I. 481, ἣν διὰ μαργοσύνην ξείνῳ πυρὶ δῃωθέντων.
Apol. Rh. I, 244, αὐτῆμάρ κε δόμους ὀλόῳ πυρὶ δῃώσειαν.
II. 1, c. XXXVIII, 21 ..... παλίμπορον ἀΐσσοντες.
Apol. II, 1250 ...παλιμπετὲς ἀΐσσοντα.

unum vero ex Callimacho :

I, 2, c. II, 302 .....ὅσαις τέγος ἀκλήιστον.
Callim. (Hekale) Frgm. 41. ἔχε γὰρ τέγος ἀκλήιστον.

unum quoque ex Arato

II. 1, c. XLV, 101, καὶ σκολιοῖο δράκοντος ἀτάσθαλον....
Arat. 70 ..... ἄκρον ἔχει σκολιοῖο δράκοντος .....

Nec semel etiam ex Oppianis aliquid mutuatus est.

I, 2, c. I, 112, ... καὶ ἄσχετα μαργαίνουσα.
Opp. Hal. 1, 38, ... κρυερῷ τε καὶ ἄσιχετα μαργαίνοντι.
II, 1, c. I, 344, ... ἑαῖς γενύεσσι δράκοντος.
Hal. 5, 585, ... αὐτῇσιν ὑπαὶ γενύεσσι δράκοντος εἰλεῖται.
I, 2, c. II, 620, ψῆρες μὲν λαλέουσιν ὁμοίϊον ἀνθρώποισι.
Kyneg. I, 228, ... καὶ γλῶσσαν ὁμοίϊον ἀνθρώποισιν

Immo, quod mirabilius, ipsum Lucianum imitatus est.

I, 2, c. XXIX, 4, ὥστε προσωπεῖον, κοὐχὶ πρόσωπα φέρειν.
Luc. Anth. Pal. XI, 408, 4, ὥστε προσωπεῖον, κοὐχὶ πρόσωπον, ἔχειν.

Alia quidem ex Anthologia graeca proferre possim, qua Gregorius profecto usus est (1). At satis habeo nonnullos hic adscripsisse locos, ex quibus tria collegam : unum quod, in poematis hexametro pentametroque conscriptis, sed maxime in moralibus historicisque, ubi scilicet poeta universe magis ac humane sentiat, Gregorium nullam fortasse propriam dicendi rationem sibi assumpserit ; verum aut multa ex poetis qui antecessere consilio suis contexuerit, aut nisi eos propius secutus erit, commune sibi scribendi genus ex eorum usu efformaverit. Alterum, quod utique cum Alexandrinis scriptoribus consuetudinem habuerit, neque tamen eis mancipatum praecipue sese habuerit. Tertio demum, quanquam exemplorum numerum facile augeri posse exsistimo, tamen

(1) I, 2, c. XV, 56. τῇ καὶ τῇ πυκινοῖς πνεύμασι βρασσόμενον ; et II, 1, c. XV, I, τῆ καὶ τῇ χαλεποῖς πνεύμασι βρασσύμενον ; cf. Leonidam (Tar.) *Anth. Pal.*, X, 1, 4 — σεσίγηκεν δὲ θάλασσα κύμασι, καὶ τρηχεῖ πνεύματι βρασσομένη.

II, 1, c. XXII, 17, ἀλλά μ' ἔλυσε χρόνος καὶ νοῦσος ἀνιγρή. Cf. Philippum (Thessal.) *Anth. Pal.* IX, 708, 2. τοὺς δὲ τόσους καμάτους πάντας ἔλυσε χρόνος.

eum satis magnum censeas, quo tibi constet maxime libris Gregorium homericis operam dedisse, quibus ita sese imbuerit, ut quasi inscius ac sponte verba Homeri aut hemistichia aut versus suis immiscuerit, vel ad ipsius exemplum dictionemque suam prorsus orationem conformarit.

Quod si nos ad perscrutanda poemata Nazianzeni senariis conscripta conferamus exemplaque conquiramus, statim nobis eum communem poetarum scenicorum sermonem secutum fuisse, quia etate probatissima floruerint, ac singulorum dicendi consuetudinem expressisse apparebit. Igitur, ut omnia ordine magisdigerantur, primum de singulis vocibus, tum de locutionibus aut formulis dicam, ita ut quam plurima, pro libello isto, exempla in medio proferam. Omnia enim notare nec volui, nec potui (1).

§ I

De Gregorio Aeschyli imitatore

a) *Singulae voces*

I, 2, X, 498 (2), πολυθρέμμων (Ἰακώβ).
Pers. 33 : πολυθρέμμων Νεῖλος.
I, 2, X, 972, σαυτὸν νεοῦν λαμπρῷ βίῳ.
Suppl. 534 : νέωσον εὔφρον' αἶνον.
I, 2, XXIV, 140, ἀπένθητον βίον.
Eum. 912 : ἀπένθητον γένος (cf. Ag. 895 : ἀπενθήτῳ φρενί.)

b) *Singulae locutiones*

II, 1, XI, 1915, ὡς κεραυνίους βολάς.
Sept. 430 : κεραυνίους βολάς.

(1) Locos ex Aeschylo, Sophocle, Euripide, Aristophane juxta Dindorfii editionem V poet. scen. Graec. repeto. Ducem vero habeo P. Stoppel. *Quaestiones de Gregorii Nazianzeni arte metrica*. Rostochii. 1881.

(2) Lib. I, s. 2. Carm. X, v. 498.

II, 1, LXI, 5, πηγὴ κακῶν.
Pers. 743 : νῦν κακῶν ἔοικε πηγή.
II, 1, VI, 3, πενθῶ δ'ἔγωγε λαὸν οὐχ ὁρώμενον
ἐμοὺς ῥέοντα πρὸς λόγους.
Sept. 80 : ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας.
II, 1, X, 54, ὤν, οὐ δοκῶν, ἄριστος.
Sept. 592 : οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει.

Pauca igitur exempla mihi legenti occurrere, satis tamen ut Gregorium Aeschylum cognovisse credas.

§ II

De Gregorio Sophoclis imitatore

Plura, etsi nondum multa, notare potui, quae a Gregorio ex fabulis Sophoclis petita crediderim.

I. *Singulae voces*

I, 2, XXV, 211, τὸν πατροφόντην.
Oed. R. 1441 : τὸν πατροφόντην.
Trach. 1125 : τῆς πατροφόντου μητρός.
II, 1, XI, 573, ἡ (συμφωνία) δ'ἦν τοπρόσθεν ὀρθόπους.
Ant. 985 : ὀρθόποδος ὑπὲρ πάγου.
II, 1, XI, 1404, ὑπεστέναζεν.
Ai. 322 : ὑπεστέναζε, 1001, ὑπεστέναζον.

II. *Singulae locutiones*

II, 1, XVIII, 9, πόλει τοσαύτη — ἣν οἶδα πρώτην τῶν ἀφ' ἡλίου.
βολῶν
Ai. 877 : τὴν ἀφ'ἡλίου βολῶν κέλευθον.
II, 1, XVIII, 11, με τὸν δυσδαίμονα.

Ant. 274 : κἀμὲ τὸν δυσδαίμονα.

II, 1, XI, 183, φεῦ τάλας.

Ai, 983 : φεῦ τάλας.

II, 1, XI, 1, 509, τέκνον, μή μ' ἀτιμάσῃς.

Oed. Col. 49 : ὦ ξεῖνε, μή μ' ἀτιμάσῃς.

II, 1, XI, 1467 : φωνὴν δ' ἀφῆκα τοῦ κακοῦ λυτήριον.

El. 1489 : ὡς ἐμοὶ... κακῶν μόνον γένοιτο τῶν πάλαι λυτήριον.

I, 1, VI, 52 : μηδ' ἐκτὸς ἔρχῃ τῶν καλῶς συγκειμένων.

Trach. 1189 : εἰ δ' ἐκτὸς ἔλθοις...

II, 1, XI, 387 : βλάσφημον ἐκφέρειν λόγον.

Trach. 742 : οἴμοι, τίν' ἐξήνεγκας, ὦ τέκνον, λόγον.

II, 1, XI, 405 : τί οὖν πέπονθας ;

Phil. 740 : τί ποτε πέπονθας ;

Igitur tres loci sunt Aiacis fabulae, tres etiam Trachiniarum, duo Antigonae, singuli Oedipodis Regis et Colonei, et Electrae, unus demum Philoctetae.

§ 3

De Euripidis imitatione

I. *Singulae voces*

I, 2, X, 717 : μελῶν λακίσματα.

Troad. 497 : πέπλων λακίσματα.

II, 2, VIII, 282 : διώνυμον Μαλαχίαν.

Phoen. 683 : διώνυμοι θεοί.

II, 1, XLI, 7 : εὐγενεῖς ἐπισκόπους, μηδὲν προμοχθήσαντας εἰς μοῖραν καλοῦ.

Suppl. 1234 : ἄξια δ' ἡμῖν προμεμοχθήκασι σέβεσθαι.

II, 1, XI, 787 : πλοκῆς πάντη ξένων.

Ion. 826 : κἄπλεκεν πλοκάς.

II, 1, XI, 1366 : τὸν οἶκον ἀστραπηφόρον.

Bacch. 3 : ἀστραπηφόρῳ πυρί.

II, 1, XI, 1248 : ὁδὸς γὰρ ἀμφίκρημνος.
Bacch. 1051 : ἦν δ' ἄγκος ἀμφίκρημνον.
II, 1, XI, 821 : ἀνθρωποκτόνοις.
Iph. T. 389 : αὐτοὺς ὄντας ἀνθρωποκτόνους.
II, 1, LVI, 2 : (θηρίον) βροτοκτόνον.
Iph. T. 384 : θυσίαις βροτοκτόνοις.
II, 1, XI, 153 : χερῶν ἀράγμασι.
Cycl. 205 : τυμπάνων τ' ἀράγματα.

II. *Singulae locutiones*

II, 2, VIII, 225 : τρυφῆς θῆσσαν τράπεζαν ποιμένων ἠλλάξατο.
Alc. 2 : ἔτλην ἐγὼ θῆσσαν τράπεζαν αἰνέσαι.
I, 1, X, 31 : εἴπερ δίκαιος τοῦ λόγου μένεις βραβεύς.
Med. 274 : ὡς ἐγὼ βραβεὺς λογόυ τοῦδ' εἰμί.
II, 1, XI, 1323 : σὺ καὶ τότ' ἦσθα τῶν ἐμῶν πόνων βραβεύς.
Hel. 703 : οὐχ ἧδε μόχθων τῶν ἐν Ἰλίῳ βραβεύς.
I, 2, X, 589 : λεπτὸν νόον.
Med. 529 : νοῦς λεπτός.
II, 1, XL, 4 : παμφάγου πηγαὶ πυρός.
Med. 1187 : νᾶμα παμφάγου πυρός.
I, 2, X, 946 : βλάβη φρενῶν.
Hipp. 511 : ἐπὶ βλάβῃ φρενῶν.
II, 1, XLVII, 10 : ὥσπερ τρίπωλον ἅρμα τῶν ἐζευγμένων ἵππων.
Andr. 277 : τρίπωλον ἅρμα δαιμόνων ἄγων τὸ καλλιζυγές.
II, 1, XI, 1673 : κακῶν ἐρημία.
Herc. f. 1157 : ποῖ κακῶν ἐρημίαν εὕρω.
I, 2, 446 : γαστρός τις ὄγκος ὑδέρου πεπλησμένος.
Ion. 15 : γαστρὸς διήνεγκ' ὄγκον.
II, 2, VIII, 32 : κῦμα ποντίου σάλου.
Iph. T. 1443 : ποντίῳ σάλῳ.
I, 2, XXXII, 32 : θολοῖ δὲ τὸν νοῦν.
Alc. 1067 : θολοῖ δὲ καρδίαν.
II, 1, XXXIII, 14 : τέκνων τὰ μὲν λέλοιπα, τῶν δ' ἀπεζύγην.

Med. 1017 : οὔτοι μόνη σὺ σῶν ἀπεζύγης τέκνων.
II, 1, XI, 512 : οὔπω τοσοῦτον ἐκμεμέτρηκας βίον.
Iph. A. 816 : ποῖον χρόνον ἔτ' ἐκμετρῆσαι χρὴ...
I, 2, X, 310 : πόνους διαντλῶν κέρδεσιν.
Andr. 1217 : διαντλήσω πόνους.
I, 1, XLVII, 1 : ὦ τάλαινα καρδία.
Or. 466 : ὦ τάλαινα καρδία ψύχη τ'ἐμή.
I, 2, X, 42 : κἂν τὴν Ὁμήρου μοῦσαν ἐν στέρνοισ ἔχῃς.
Phoen. 134 : Τυδεύς, Ἄρην δ'Αἰτωλὸν ἐν στέρνοις ἔχει.

Alia quidem omitto ; verum quos enumeravi loci, omnibus Gregorium ex Euripide multa vocabula et locutiones hausisse suadebunt. Aliquot etiam ex Aristophane petita dixerim.

De Gregorio Aristophanis imitatore

I. *Singulae voces*

II, 1, XII, 590 : στενοῖς ῥακώρασι.
Ach. 432 : Τηλέφου ῥακώματα.
II, 1, XI, 1568 : τοὺς κάκους σπουδαρχίδας.
Ach. 595 : σπουδαρχίδης.
II, 1, XI, 1680 : οἱ δ' ἔκρωζον ἄλλος ἄλλοθεν.
Plut. 369 : σὺ μὲν οἶδ' ὃ κρώζεις.
Lys. 506 : τοῦτο μέν, ὦ γραῦ, σαυτῇ 'κρωξας.
II, 1, XI, 1686 : ἄτακτα παφλάζουσιν (sensu metaphorico).
Eq. 919 : ἀνὴρ παφλάζει.

II. *Singulae locutiones*

II, 1, XI, 1257 : λυσσῶντος κυνός.
Lys. 298 : κύων λυττῶσα.
II, 1, XI, 177 : ἐλπίδος χρηστῆς.
Vesp. 306 : ἐλπίδα χρηστήν.
II, 1, XI, 139 : βοὴ δὲ συμμιγής.

Av. 771 : συμμιγῆ βοήν.
I, 2, XXXII, 5 : λόγοις πτερωθείς.
Av. 1437 : νῦν τοι λέγων πτερῶ σε.
II, 1, XI, 900 : ἐγείρεται φλὸξ λαμπρά.
Av. Ran. 340 : ἔγειρε φλογέας λαμπάδας.

Nunc vero, quod ad linguam Gregorianam attinet, si quid collegere liceat, id collegi posse exsistimo, scilicet primum poetam nostrum attico sermone plerumque usum fuisse; deinde, ex exemplis collectis, eum communem scenicorum scriptorum dictionem secutum esse, maxime vero Euripidis fabularum lectioni operam dedisse. Etsi enim aliquod exemplum nostris addi posse concedo, eiusmodi imitatio negari nequit. Quae etiam ex Aeschylo, Sophocle et Aristophane deprompsimus, gravia satis sunt, ut Gregorium iis quoque legendis multum incubuisse, neque semel eorum dictionem usurpasse comprobent. Quare Naekio assentiri nequeo dicenti : « Semper probabile videbitur, antequam ad poetandum se accingeret, poetarum maxime lectione sese exercuisse Theologum, et maxime eorum qui medio inter veram antiquitatem et hanc inferiorem aetatem tempore, suo quodam studio ducti profuturum posteritati thesaurum ac penum conquisitarum undique elegantiarum condidissent. Atque horum facile princeps Callimachus fuit » (1). Fortasse Callimachea quaedam apud Gregorium reperias ; verum ea ex Callimacho Nazianzenum habuisse, Naechio ipso fatente, negarim : « Nam, inquit (2), ipse minime contendo Callimachea illa, h. e. obvia in reliquiis Callimachi vocabula, ab ipso Callimacho omnia habere Gregorium. Insunt Homerica ; nonnulla etiam Hesiodea ; quae qui non male exercitato Homeri et vero Hesiodi lectione Gregorio memoriam ex Homero Hesiodoque praebuisse, non e

(1) *Ind. lect. Bonn.* 1836-37, p. 1. — Opusc., vol. I, p. 236.
(2) *Ibid.,* opusc., p. 245.

Callimacho, contenderit, non posse refelli. » Neque tamen diffiteor quaedam fortasse vocabula ad imitationem Alexandrinorum poetarum referri posse. Sed nondum satis constat. Tantum ex diligenti inquisitione concludere nobis licet Gregorium, ut modo dixi, aliquid proprietatis graecae retinuisse, sive ex scriptis probatissimorum graecorum verba libando, ita ut versibus suis ea immisceret, sive quod illorum indole imbutus, genus quoque dicendi quasi inscius imitatus fuit. Attamen sententiis novis nova nomina, praesertim in theologicis carminibus atque etiam in ceteris, ubi de rebus christianis affectibusque agebatur, posuit, sive antiquis vocabulis e pristino sensu verecunde detortis, sive indiciis recentibus novas res monstraverit. Cetera cum audacem, tum etiam in faciendis verbis felicem sese praebuit, scilicet ob exquisitum iudicium excellentemque doctrinam, qua de rebus novis nove quidem, at graece, h. e. attice loqui potuit.

Quid vero de verbis continuatis devinctisque seu de syntaxi dixerim ? Gregorius enim verba more classico, libertate tamen ac varietate magna inter se copulat. Singula autem persequendi cum nullus hic sit locus, satis habeas Gregorium theologice loquentem docentemve particulas libenter incidere, membra minutiora usurpare, exacteque dicere ; adhortanti vero vim quamdam oratoriam suppetere ; ac demum si quid amplius explicet, circuitum et quasi ambitum arte mirabili conficere verborum. Neque nego molle quiddam et incertum in dicendo, ut ingenium poeticum lyricumque nonnunquam decet, desiderari. At id contendo quadam vice pensari, quod sententiae liquida semper oratione expressiorique sermone declarentur. Verba etiam verbis quasi demensa ae paria respondent, quod quidem nimis rhetoricen saperet, nisi omnia vi incitationeque orationis et spiritu quodam poetico fervide raperentur. Ne plura, etsi multae operae ac laboris res erat, sic nova priscis seruit, ut inter se concinere facile videantur.

Quam profecto laudem mecum habeas, ut opinor, mirabilem. Versus quidem eius dulcis uberque fluit. Sententiarum vero sublimitas aut tenuitas ita dicendi facilitate exornatur, ut materiam opificis labor nunquam superet, semper assequatur, et artificiosa sollertia etiam neglegentia quadam et candore temperetur.

Quibus de lingua seu vocabulis, eorum coniunctione, elocutionisque virtutibus explicatis, aliquid de formis poeticis dicendum, quae apud poetam nostrum reperiuntur. Ac primum earum copiam varietatemque mecum notaveris, nempe hymnos, carmina didactica, elegias, gnomica poemata, epigrammata, epitaphia, epistulas etiam versibus scriptas. Huiusmodi quidem formas haudquaquam ipse excogitavit, verum e fonte illo hellenico hausit, e quo feliciter et quasi sponte emanavere. Tamen eius laus haud exigua est, ut quae procreaverit ingenium, ea formis illis antiquis infundere potuerit, itaque sibi propria aliquo modo fecerit. Praeter vero genera illa universa, quibus usus est, unum apud Gregorium invenias, cuius forte initia quaedam iam aderant, quod profecto diligenter excoluit, nimirum dialogum illum poeticum, in quo notiones abstractae vices personarum gerunt, ut apud Aeschylum in Prometheo, ubi vis (βία) in scenam proditur. Sic Gregorius in carmine, cui " σύγκρισις βίων " titulus est (1), in medio κόσμον et πνεῦμα inter se disputantes ponit, quorum controversia ab hospite quodam dissolvitur. Alibi (2) etiam personas duas litteris A et B designatas inter se colloquentes facit. Quibus non te Gregorium his tentamentis multum valere, sed feracitatem quamdam eius ingenii intellegere velim. Cetera ex tanta formarum copia multam in ipsum genus dicendi varietatem delectationemque effluxisse fatearis.

Quod ad artem ipsam scribendi seu operis apte ac eleganter

(1) I, s. 2, c. VIII.
(2) L. I, s. s., c. XXIV, cf. Schubach, p. 30.

componendi pertinet, iam Gregorium saepius peccasse memoravi, scilicet ob nimiam verborum copiam, propter orationem nimis diffusam, partibus etiam haud semel inter se dissidentibus. Neque tamen desunt carmina non rebus tantum et affectibus, sed arte quoque eximia. Quod si aurum, sordibus omissis, probare volueris, poemata iam superius ac passim prolata, recole, quaeso, sed praesertim l. 1, s. 2, c. IX, XIV, XV, XVI. — L. 2, s. I, c. XVI, XIX, XLV, XLVI. Atque ego aliquot ac in primis c. XIV, « De humana natura » excutiendum tibi proponerem, nisi elegantissimus scriptor ingenioque venustatis omnino sentiente praeditus, scilicet Villemanius noster iampridem pulcherrima quaeque aperuisset; cuius in opere infra citato (1) ea legere tibi liceat. Unum tamen, h.e. c. XVI, *Somnium de Anastasiae Ecclesia*, per singula evolvere tecum velim, ut de arte Gregoriana conscius judicare possis :

Εὗδον δὴ γλυκὺν ὕπνον· Ἀναστασίαν δέ τ᾽ ὄνειρος
Στῆσεν ἐμοῖσιν φέρων ἡματίοισι πόθοις

Igitur duo versus rem breviter simpliciterque exponunt; cum phantasiae pro more suo Gregorium indulgere posset, nihil verbositatis, ut ita dicam, iuvenilis senilisve retinuit. At somnium statim narrare incipit. Audi quam exquisita arte omnia disponat.

Primum sedere sibi videbatur solio elatus; inferius ex utraque parte presbyteri quoque sedebant; ministri vero circumstabant; procul autem in templo plebs effusa; alii vero multi extra affluentes. — Neque ea stilo sicco depinguntur. Ipse, vultu modesto; presbyteri, aetas selecta; ministri, splendide vestiti, angelicae imago claritatis; plebs, instar apum, certabant propius accedere. — Sic vivido iam colore

(1) *Tableau de l'éloquence chrétienne au IVe s.* 1851.

pictura quasi delineatur. At, omnibus silentibus, Gregorius de summa Trinitate orationem habet, voce vehementi et animi ardentis impetu ; alii alio affectu audiunt ; hi quidem laudabant ; illi silentio admirabantur : alii verbis stridebant, alii mente ; alii pugnabant, quemadmodum et fluctus ventis agitati, quos tamen suavi ipse eloquentia mulcendo componit.... « Atque equidem, ait, sic habebam : mihi autem sommum ex palpebris excussit cantus gallorum, simul atque Anastasiam. » Iamque sublimes querelae sequuntur : O mea Trinitas ! ofilii mei ! quanquam civitas maximis pulcherrimisque monumentis gloriatur, tamen unam Anastasiam desiderat. Mala quidem tanta, nec ipse hactenus, nec ullus homo passus est. Quare nunquam Anastasiae obliviscetur, verum Anastasiam aliam incorpoream in animo sibi statuit ut omnium ita memoriam servet.

Ergo carmen ita sese habet ; in quo non mollities animi tantum ac teneritas, sed maxime ars summa tibi profecto laudanda videbitur sive omnia apte componendi, sive omnia vivide, sobrie quoque omnia depingendi ; verus animi affectus : nihil affectatum, nihil exaggeratum, demum stili venustas (1). Quae, ut iterum dicam, in aliis poematis tibi admirari licet, ut mecum recognoscas Gregorium curantem volentemque perfecta omnino assecutum fuisse, ideoque nulli ex aequalibus aut fortasse etiam ex veteribus arte summa concessisse.

(1) Vid. Append. D. *de studio naturae rerum describendae,* p. 123.

CAP. VII

De re metrica apud Gregorium Naz.

Etsi Gregorius in carminibus suis e grege poetarum aequalium eminet, et aliquid novi invenit, tamen arte versus faciendi ceteros non adeo antecellit, si duo tantum carmina excipias, de quibus infra sermo erit. Nimirum intellegas velim Gregorium novis numeris strophisve fere nunquam usum fuisse. Neque eis iam opus erat : Graeci enim veteres tot numeris strophisve res suas expresserant, ut alia metra nec facile neque sine aliquo damno efficere aliquis potuisset. Novae enim lyrici carminis species aequalibus hominibus ignotae fuissent, quippe qui iam longa consuetudine antiquis uterentur. Neque ars sincera sed artificiosa et affectata quaedam subtilitas usurpata tantum fuisset, a qua profecto Gregorius abhorrebat. Ipsum igitur et divino afflatu instinctum ac studio etiam veri bonique ante omnia docendi penitus incensum, formas plerumque notas adhibere tantummodo decebat. Adde quoque minime numeris novis opus poetae ulli esse, si quidem priscis novae sententiae exprimi omnes totoque amplexu comprehendi poterant. Quare Gregorio satis fuit ex antiquis thesauris haurire formas quidem notissimas, ut iam diximus, dactylica scilicet et iambica et ionica et logaoedica metra, quibus in hexametris componendis aut elegiacis aut trimetris anacreonteisque uteretur.

Versus autem epicus in poematis dogmaticis magnam for-

marum varietatem complectitur, qua Gregorius impedimenta quantitatis superare potuit. Nam caesuras varie incidendo membra versus habiliter distinguere solet. Deinde etsi carmina illo numero conscripta κατὰ στίχον ducuntur, sententia tamen latius extra versum saepissime patet. Quod quidem deprehendere possis in didascalicis carminibus, ubi mens ad caelestia erigitur, eaque de causa sententia ipsa attollitur, uberiorque explicatur (1). Nec aliter versus elegiacus sese habet, qui cum hexametro conjungitur ut distichum efficiat. Quemadmodum probatissimi ex antiquitate poetae, ita Gregorius huiusmodi versus binos plerumque copulare consuevit, eo tamen pacto ut periodi quatuor sexve aut etiam decem versuum passim miscerentur, nulla tamen lege definita, nullove alio consilio quam versuum sententiis faciendorum, et rectissimum ingenii iudicium sequendi, quo et instinctu mirabili impellebatur, ut fastidium non semel distichis elegiacis coniunctum periodis varie seminatis levaret (2). Neque formis tantum aetate sua vulgatis Gregorius usus est, verum etiam formam quamdam novam, etsi non adeo praecipuam invenisse mihi videtur. Graeci enim veteres membra dactylica lyricis quibusdam compositionibus, maxime choris, ut tetrapodiam acatalecticam et versum prosodiacum catalecticum, intexere solebant. Gregorius autem huiuscemodi numeros tantum in distichis componendis sibi insumit, hoc est, tetrapodiam catalecticam alteri parti versus elegiaci copulatam. Quas quidem nove, ut opinor, aut saltem primus ex poetis graecis christianis disposuit (3).

(1) I, s. 1, c. IV, V. — s. 2, c. IX, etc.

(2) I, s. 2, c. XIV; II, s. 1, c. XLV, etc.

(3) Apud Graecos quidem veteres Archilochius versu, quem ἀσυνάρτητον vocant, cum tripodia trochaïca coniuncto utitur. Apud Latinos vero, Horatius alterum versum in strophis epodicis lyricisque componendis usurpat, alterum cum epico hexametro copulat. Animadvertas tamen velim 1° prosodiacos Sereni (Bährens, frgm., p. 386); 2° Ausonii versus tribus

Saepissime vero trimeter iambicus sive κατὰ στίχον, sive serie plus minusve continuata, sive strophis usurpatur. Cave tamen hoc ultimo verbo artificiosam illam veterum compagem intellegas, qua varia cola numeris dissimilibus ita componebant, ut, mutato numero auris sentiret modulationis circuitum seu stropham conclusam esse. Qui enim post Christum natum vixere graecis poetis, omnis versuum compositio qui semel et iterum scribebantur, stropha erat, dummodo maiori interpunctione sensus clauderetur ; cumque non adeo certa lege concludi posset, saepe nutare fluctuareque strophae videntur. Trimetris vero iambicis et dimetris anacreonteisque poetae utebantur. Immo et vir doctissimus (1) eiusmodi usum a Gregorio ipso repetit. Hanc enim strophicam divisionem in aliquot poematis reperire licet. Qui tamen plura carmina numerare volent aut ea strictius distinguere, illis, ut opinor, periculum erit erroris. Quam divisionem ut efficiant, praeter enim quam quod interpunctione tanquam norma liberiore utantur necesse est, insuper patet Gregorium huiusmodi distinctionem saepissime neglexisse, quia primum versus ecclesiastico cantui aptos exarare nolebat, ac maxime deinde quoniam ex mentis impetu tantum carmina condebat, quibus animus totus pro lubitu effunderetur. Quae etiam de dimetro iambico anacreonteoque recte dixeris. Ut enim exempla proferam, hymnum ad Deum (P. D, s. I, c. XXX) temere inspicienti, in strophas certas digeri videbitur. At eas non eodem numero computet ; prima quidem et secunda versus duodecim continentur, tertia autem undecim, quarta iterum duodecim, quinta vero quatuor versibus tantum clauditur. Sic etiam in carmine Εἰς τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν (II, s. I. 88) initio duas stro-

dactylis unaque syllaba constitutos (XV, 30; ep. 81); quos Prudentius etiam in strophas quinque versuum distribuit (Cath. 3; Peristeph. 3). — Cf. Mueller. *Métrique grecque et latine,* ch. III, p. 25-26. — Havet, *Métrique,* p. 74.

(1) Mueller, p. 146. *Métrique grecque et latine.*

phas e sex versibus, deinde unam e quatuor, aliam e quinque, aliam e sex, aliam e tribus versibus (etc) constitutam legere poteris. Quo Gregorium strophas, si tibi hoc vocabulum placet, non aequabiliter admisisse satis comprobatur. Epodum tantum ad classicas, ut aiunt, leges revocare merito licet, quippe quae ex iambico cum dimetro coniuncto, vel ex dimetro iambico acatalectico monometroque hypermetro consistere videatur. Exemplo enim sit carmen XXIV (P. M.), in quo trimetrum iambicum modo dimeter acatalecticus modo monometer ordine seu potius promiscue comitantur. Ex quo epodum illam diversitate distingui ac nonnihil delectamenti novique prae se ferre collegas. Quin etiam, si parumper epodici generis oblivisci velis, haud aegre eam in strophas quatuor versiculorum disparibus tamen numeris dividas. Quid plura ? Ex dictis plane patet Gregorium sat multos ex fonte antiquo et more classico numeros hausisse. Quod si non alios nove ediderit, tamen in antiquis elegendis rectissimum iudicium praebuit, cum notissimis tantum numeris succoque plenis usus fuerit.

Versus etiam congruenter rebus accommodare solet. Sic quia versus epicus, gravitatis dignitatisque suae causa, rebus ample exponendis aptus est, ideo carmina pleraque dogmatica D. Gregorius forma dactylica tanquam larga veste implicat, eaque sive hexametro tantum sive eodem versu cum elegiaco copulato exprimit. Res enim iuste definiendae hexametro distichoque subtili quadam arte continentur ; quibus etiam nullum versum alium aptiorem affectibus animi exprimendis reperias. Quare saepissime a Gregorio insumuntur, aliis tamen non exclusis. Etenim eamdem doctrinam iam versibus dactylicis declaratam etiam trimetris iambicis, gratae varietatis causa, vates noster exponit, obque indolem ipsam trimetri, qui inter versus alios iambicos gravissimus est, magisque de medio, hoc est, familiariter ducitur. Ex quo fit ut poemata

didascalica trimetris expressa iucundam aliquam simplicitatem, aliquid etiam ad vulgi sensum accommodatum exhibeant. Neque tamen versum eumdem esse propter alacritatem alternis sermonibus, immo propter acerbitatem quamdam moribus vitiisque carpendis aptissimum silentio hic praeterire volo. At quanquam illo Gregorius in inimicos lacessendos utitur, nunquam tamen gravitatis munus sacrum et versum decentis obliviscitur. Dimetrum quoque iambicum catalecticum, et solum quidem, id est, haudquaquam cum aliis longioribus versibus compositum, — quod extra morem classicum dicam — apud Gregorium facile reperias. Huiusmodi enim versu aequales priorisve aetatis poetae christiani celeberrime usi sunt, quia nimirum litteratos homines amabiliter ac iucunde delectabat. Quapropter iis numeris Gregorius in suavissimo illo carmine Εἰς τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν sententias affectusque exprimit : « Quid tibi vis, anime? aliquidne decorum ? id libenter tibi condonabo ; annulum Gygaeum cupis? aut munus Midae regium ? » Sic multis eiusmodi versibus Gregorius carmen leviter iocando prosequitur. Neque plura exempla in medio hic ponere cupio, quibus legenti ostendam quam exquisito iudicio poeta ille metra sibi elegerit. Ea licet non eximia laus sit, neque mediocris tamen seu exigua alicui videbitur, recordanti praesertim sive carmina veterum celebratissima, sive iustam modorum intellegentiam tum temporis fere abolitam et oblivione fuisse obrutam. Sic enim iam a saeculo p. Christum natum tertio, Romani poetae (Alfius Avitus, Festusque Avienus) in epica poemata pedes iambicos sumpsere ; neque temere idem peccasse Graecos eiusdem aetatis iudicaris. Quidquid est, saeculo septimo, Gregorius Pisides, alter Euripides, ut aequales consentiebant, iambicis numeris Heracliadem suam conscripsit.

Utrum vero Gregorius eodem exquisito iudicio in versibus faciendis quo in elegendis usus fuerit, iam nunc dicturi su-

mus. Alexandrinorum quidem et Neograecorum fuit aliquid in arte metrica nimis limatum et emunctum affectare, de quo mira exempla in Simmiae et Dosiadae et Besantini carminibus legere est (1), ubi cura summa inanique versibus expoliendis maxime student. Sic etiam Nonnus, litteris graecis iam in deterius inclinatis, saeculo quinto post Christum natum, hexametrum ita strictissime sibi usurpavit, ut fere semper dactylos spondeis anteponeret, caesuramque κατὰ τρίτου τροχαῖον incideret, arctiusque leges positionis aut hiatus contraheret, nec unquam arsim produceret. Gregorius vero etsi propter longam veterum consuetudinem optimis legibus morem gerebat, aetati quoque obsequitur suae, in qua populus plebeculaque oratorum quidem studiosissima erat, poetas autem parvi faciebat, neque iam numeros veterum intellegebat, aut saltem syllabas longas cum brevibus facile commutabat. Igitur in Gregorii versibus classicarum legum observantiam simulque aetatis licentiam reperire est. Neque tamen in animo nostro erit ut de arte metrica Nazianzeni, ordine cuncta persequendo, nunc temporis disputemus. Etenim etiamsi res sineret copiaque nobis data esset, tamen disputationis quasi fundamentum deesset, cum poemata Gregorii iuxta leges scientiae certae et iusto iudicio critico nondum constituto habeamus. Itaque quidquid singulare in Gregorii numeris notetur conscii iudicare nequimus. Dronke (Ernestus) XXXI tantum carmina (2), pauciora vero Christ recognovit (3). Quin etiam, ut carmina omnia recognoverint, exiguam, ut opinor, in illis discutiendis utilitatem quispiam sibi comparaverit. Etenim si versus Gregorii in universum aestimes, eos plerumque ad tempus praeteritum pertinere, aliquot tantum ad futuram aetatem spectare videas. Partim antiquorum discipulo-

(1) Cf. Muller, p. 130.
(2) *Carmina selecta*, 1840.
(3) *Anthologia graeca carminum Christianorum*, 1871.

rum, partim novorum numerorum rythmorumve participem sese praebuit ; neque classicus neque rythmicus poeta omnino dici potest, at medius inter utrumque intercedit. Quare ne oleum nostrum laboremque perdamus, tantum quid in re eius metrica conspicuum sit per summa capita hic discutere curamus.

Quanquam Gregorius non omnino dactylos spondeis anteponit, tamen dactylis favere plurimum videtur. Eius enim hexametri non semel e quattuor, fere semper e tribus dactylis constare solent, itaque pari numero, ut apud poetas probatissimos, dactyli et spondei numerantur. Neque versum spondiacum refugit, quanquam eo absque fine certo utitur ; tum vero ne versus fine gravetur, plures dactylos in altera parte, semper quidem in pede quarto admittit. De caesura vero magnam simulque liberam curam habet. Gregorio tamen caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον melior esse dicenda videtur. Si enim singula eius poemata discutias, huiusmodi caesuras numerabis plurimas. Caesuram quoque bucolicam, aut melius dixeris, interpunctionem post quartum pedem ex dactylo tunc constantem habet. Tunc etiam pedes duo ultimi cum versu sequenti sensu copulantur. Elisio quidem non e quinto pede reiicitur, qui, ut quinque ultimum vocabulum, ita et una, aut duabus aut tribus quatuorve syllabis constitui potest. Quid amplius ? leges de syllabis ob positionem producendis brevibusque elidendis aut hiatum longarum plerumque admittit, ut rei metricae ratio atque ordo postulat. Plerumque dico : nonnulla enim infra notanda e legibus discurrunt. Ne multa, quicquam habet Homeri simile, sive cum versus libere facit, sive eum iuste propiusque imitando. Quae etiam de versu elegiaco vera utique comprobarentur. At ne eadem iterum repetam, id tantum notare velim Gregorium in ultimo vocabulo elegendo sese maxime varium ac multiplicem habuisse, tres quidem, quatuor aut quinque, rarius autem duas syllabas admisisse, nec

libenter, ex veterum instituto, versum brevi conclusisse (1). Itaque versum eius dactylicum magna libertate ac varietate, certissimeque exaratum a poeta nostro fuisse iure dixero.

Quod idem non immerito etiam de trimetro iambico dimetroque iudicaris. Etsi non semel Gregorius unoquoque pede iambum comprehendit, plerumque tamen de strictioribus Alexandrinorum et Neograecorum legibus nonnihil decedit. Primum enim pedem et secundum tertiumque saepius spondeus, interdum etiam pedes trisyllabi seu anapaesti, tribraches, dactylique occupant (2); pares vero alii pedes iambis numerantur. Nolo iam accuratius hic de singulis pedibus solutis disserere, qui inveniantur in carminibus a Gregorio senariis conscriptis. Sed quae notaverim, ea summatim, etsi singula in alio loco congesta in manu habeo (3), tibi breviter complecti malo.

§ I

De Tribrachis

Numerantur in 7550 senariis Gregorii 96 tribrachi, e quibus si 9 tribachos e syllabis nominum propriorum compositos dempseris, reliqui 87 supersunt. Atque hanc habent cum tragicis poetis comicisque rationem (4).

Aeschylus :	123 :	4308	= 35
Sophocles :	197 :	7568	= 38
Euripides :	1700 :	17825	= 10 1/2

(1) Ut apud latinos, eg. *dŭŏ*.

(2) Cf. Brahms *Christus patiens,* etc., p. 18. — *Stoppel. Quaestiones de Gregorii Nazianzeni re metrica,* 1881.

(3) Vid. Append. E, p. 125 sqq.

(4) Haec ex Stoppelio (*op. cit.*) et Rumpelio (*Phil.* 28, p. 601, 604.) mutuatus sum.

Aristophanes :	2625 :	9208	= 3 1/2
Gregorius :	87 :	7550	= 87.

Unde videre est perpaucis Gregorium tribrachis usum fuisse. Quorum 33 in quarta sede inveniuntur, in altero pede 30; tertio, 21, primo 10 tribrachi adscribuntur; singulos in sexto ac in quinto reperias.

Saepissime vero tribrachos (48) ex uno vocabulo seu unius vocabuli syllabis conficit. Quadraginta autem ex duobus; octo tantum ex tribus vocabulis arctissime inter se cohaerentibus composuit. Quare Gregorius magna diligentia in tribrachis usurpandis fuisse, nec poetis scenicis imparem, immo Euripide praestantiorem merito dixeris (1).

§ II

De Dactylis

Dactyli 83 in 7550 trimetris inveniuntur, quorum 74 in primo et tertio pede numeres. Habita vero ratione cum poetis scenicis, minimus etiam numerus Gregorio tribuendus est.

Aeschylus :	140 :	4308	= 31
Sophocles :	204 :	7568	= 37
Euripides :	1923 :	17825	= 9
Aristophanes :	1465 :	9208	= 6
Gregorius :	72 : (2)	7550	= 105

Sedem vero nobis aspicientibus plures dactyli in primo pede quam in tertio occurrunt. Tragici vero et Aristophanes multo plures in tertio quam in primo pede adhibent. Quindecim

(1) Cf. Append. E, p. 125 sqq.
(2) Duo exempla nominum propriorum detraximus

vero dactylos uno vocabulo ; quinquaginta duobus, quatuordecim tribus vocabulis expressit. Sed nullum in quinta sede dactylum usurpavit. Igitur Gregorius in formandis distribuendisque dactylis paululum a poetarum scenicorum more dissentire mihi videtur.

§ III

De Anapaestis

Tragicos poetas in prima tantum iambici trimetri sede anapaestos adhibuisse iamdudum viris doctis constat, falsosque esse versus qui legi isti repugnare videantur. Comici vero poetae in omnibus praeter sextum pedibus anapaesto usi sunt; quos Gregorius imitatus est (1). Etenim in 7550 trimetris iambicis 272 anapaesti numerantur, quorum 126 in quarto pede, 24 in tertio, 21 in primo totidemque in quinto distribuuntur. Quos aliter Aristophanes disponere solet, scilicet plerosque in pede secundo (1183), in primo (1143), quem quartus sequitur (847) ; longe quintus distat (338), postremo ultimum locum tertius habet (268) (2). Quod ad formam anapaestorum attinet, 181 ex uno vocabulo, 82 ex duobus, 9 ex tribus vocabulis effecit. Fateor autem Gregorium anapaestos duobus vel tribus vocabulis efformantem, maiore quam comici licentia usum fuisse, cum 56 anapaesti legibus comaediae repugnent, 29 tantum obediant. Quare omnibus diligenter perpensis, Gregorium iam sub veterum disciplina edoctum, ipsis non adeo fuisse censemus imparem.

Attamen cum exceptione aliqua laudandus est, si quidem interdum aliquid peccavit. Neque hic sermo noster erit de

(1) Vid. Append. E, p. 125 sqq.
(2) Hos numeros ex auct. cit. habeo.

licentia a poetis antiquis usitata, ut de syllaba brevi, ἆθάνατος, versus gratia (1), aut etiam caesura imperante, producta. Exempla enim syllabae brevis, v. g, in caesura pentametri multa proferre possem περὶ εὐτελείας v. 92 περὶ τ. τ. β. ὁδῶν, 2, 24. γνῶμ. 10, 58. περὶ τῶν τῆς ἀ. ψυχῆς παθῶν, 10. 120, 158. 240. 254. 282. 292. 336, etc. At alias graviores licentias notare volo. Sic Greg orius cum lege positionis arbitratu suo agit, quae utique observatur aut neglegitur prout impedimento convenientiaeve esse iudicatur. Sic etiam ex lege certa ad totam veterum artem metricam attinente, semper brevis syllaba est in fine vocabuli unius ante vocalem sequentis elidenda. Gregorius vero neque in thesi — ignoscendum quidem, neque etiam in arsi, omnino culpandum — hiatum abiicit. (I s. I. c. IX. n. 57); tot sunt exempla, ut ad manus legentibus facile sunt, Attamen id notare velim, quod hiatus saepissime in pede quarto reperiatur, ita ut etiam interpunctione in fine pedis molliatur. v. περὶ ψυχῆς 5. 9. 14. 64. 85. π. διαθηκῶν 48. 67. 71. π. ἀρετῆς 11. 16. 53. π. φύσεως 7. 17. 51. 59. 77. 131. π. εὐτελείας 57. 65. 91. 121 περὶ ἀρετῆς 24. 25. Fortasse quispiam nos insimulet, carminibus male recognitis, temere tot hiatus admisisse. At si melius recognoscerentur, neque tamen omnes tollendi copia tibi esset. Multi enim in poematis iusto apparatu critico a Dronke et Christ editis etiam supersunt. Nec me fallit littera Γ hiatus aliquot de medio eripi posse. Gregorius enim, licet aetate sua non expresse iam enuntiaretur, tamen hanc litteram ante vocabula quaedam veterum exemplo admiserat (ἄναξ, οἶνος, etc.) Ita et Nonnus, quinto saeculo oriente (δέ οἱ, XXVIII, 55 — δέ ἑ XXIII, 217). Igitur non in eo

(1) Hanc licentiam cum α, ι, υ, ε, ο sibi sumit saepius. I. 2, c. X, 699. ἀκούοντά τε. II. 2, c. VIII, 119 πωλοῦσα μέλη, 201, ἀτραπός, etc. II. 1, c. XII, 384 : προβάλοιτ' etc. I. 2, c. X. 181 : τινες. v. 21 θεϊκῆς, II. 2, c. VIII, 40. κεκριμένως, etc. II. 1, c. XII, ἄλυτον, 590 : ἔνδυμα. I. 1, c. VI, 35 οὐδὲ γάρ I. 2, c. IV, 12 παρθένε, καί, etc. II. 1, c. XII, 827 : ὁ μακρός. I. 2, VIII, 97 πομαт' etc.

Gregorium culpabimus, at quando pro lubitu ac commodo eamdem litteram in aliis vocabulis etiam apud antiquos deficientem, licentius admittit. Tunc enim ob veros hiatus, haudquaquam recte versus incedunt. Igitur Gregorius magis in prosodia quam in arte metrica a more dissentit aetatis aureae. Neque tamen severior in iudicando esse velim, cum aegre poeta aliquis, quarto saeculo, alterutrum vitare posset, aut strictissimam ideoque artificiosam molestissimamque veterum imitationem, aut aequalium licentiam. Gregorio autem inter utrumque medius prope intercedit. Immo viam aliquam novam munivit.

Classici enim poetae nullam fere in versibus faciendis curam de accentu habebant, tantumque syllabas longas ac breves inter se copulabant, accentibus tanquam casu dispositis. Sic quoque latini vates. Igitur rythmus ex quantitate una et ictu certis quibusdam intervallis redeunte totus efficiebatur. Cantus vero ad accentum pertinebat, hoc est, vox accentu acute erigebatur aut gravius dimittebatur. At memoria veteris prosodiae sensim apud homines illius aetatis propter ignorantiam neglegentiamve abolita, iam rythmus non quantitate syllabarum ictuque certo, verum accentibus exprimitur,eo nempe modo ut acuta vel accentu signata etiam percuteretur. Quod clarissime in Byzantinis carminibus videre est, ubi syllaba acuta locum syllabae productae obtinuit. At idem nonnisi obscure aetate Gregorii tentatur. Atiquid tamen inchoatum ac rude in carminibus duobus praebuit, de quo iam nunc sumus disputaturi, Christ Bouvyque omnino ducibus.

Unus est *Hymnus vespertinus* cuius iambici numeri non longis brevibusque syllabis constituuntur, verum accentu verborum ; scilicet quocumque fere loco veteres syllabam longam producebant, Gregorius syllabam acutam ponere solet. Ita Christ (1), cuius opinionem veram esse dixerimus, aliqua

(1) Proleg., p. XIII.

tamen correctione adhibita. Namque observare mecum poteris 1° multos versus extra numerum legitimum syllabarum extendi (e. g. v. 9. 13. 20. 22. 24. 37. 45. etc.) 2° primam tertiamqun syllabam pro secunda quartaque, (v. 3. 6. 11. etc. 4. 6. 12. 14. etc.) etiam ultimam pro sexta semper tamen acuenda, accentu erigi. Ex quo sequitur ut Gregorius non arctis limitibus carmen circumscripserit, neque Christ suas leges sine ulla exceptione statuere possit. Quod ad strophas attinet, eiusmodo carmen, post L. Havet(1), partiri nobis licet, neque tamen modo aequabili. Primum enim quatuor strophae sex versuum, deinde totidem quatuor versuum occurrunt, ac demum hymnus stropha sex versuum clauditur. Quae strophae, non adeo anacreonticarum dissimiles, a Byzantinis poetis οἶκοι nuncupatae fuerunt.

Alterum est carmen cui titulus πρὸς παρθένους παραινετικός inscribitur, in quo Gregorius, si Billio fidem adhibeamus, praeclarissimum mimorum scriptorem, Siculum nempe Sophronem imitatur. Quae imitatio, ut opinor, non ad sententias ipsas spectat. Bouvy (2) quidem contrarium aliquid asserit, scilicet ob sententiarum gravitatem. Neque tamen id satis est ut illam adhortationem philosophicae disciplinae Sophronis proximam censeamus. Aliae enim sunt Gregorii ad virgines adhortationes in quibus sententiarum sublimitas nequaquam alienis auxiliis indiget. Igitur imitationem, si qua est, rythmicam esse dixero. Suidae autem testimonio, Sophron mimos scripsit καταλογάδην, id est, vulgatis artis metricae legibus iam neglectis, rythmo colisque usus est. Quonam vero modo Gregorius? « Ad hanc rem expediendam, ait Christ (3), editio Billiana et codex Vind. V mutuum auxilium praebuerunt, quorum hic qui inter pedestres orationes Gregorii hanc quoque rythmi-

(1) Vid. ap. Bouvy, p. 134.
(2) Poètes et mélodes, p. 135.
(3) Proleg., p. XIV.

cam orationem exaratam exhibet, cola sive membra orationis punctis interiectis distinxit, — illa cum cola neglegat, versus sive periodos separat..... quo cum accedat sententia fere post alterum quodque colum finita, orationem ex versibus sive periodis binorum colorum compositam esse patet ». In singulis enim periodis aut lineis bis septenae vel quindecim vel etiam bis octonae syllabae numerantur ; (ut certiorem numerum habeas, in sex et quinquaginta lineis bis septenae syllabae, in una et quadraginta, quindecim, ac demum in tribus bis octonae computantur). Lambeccius illos versus tetrametros esse exsistimavit. At Christ partem maiorem versuum impedimento eius opinioni esse iure observavit. Cum enim sex et quinquaginta lineae bis septenas syllabas numerent, tetrametris acatalecticis catalecticisque breviores sunt. Igitur vir ille doctissimus, Christ dico, orationem accentu non quantitate syllabarum vinctam esse censet. Attamen, ipso fatente, magna inaequalitas accipienda est. « Iam si accentibus ducibus rythmorum singulorum colorum et versuum definire coneris, non omnes versus iisdem numeris includi, sed alia cola iambicorum, alia dactylicorum, alia et longe plurima logaoedicorum versiculorum speciem imitari intellegas ». Quibus compertis, Christ se excusans dicit in hac oratione Gregorii se magis divinasse quam probavisse. Nos autem meliora aucupantes quibus adhuc caremus, Bouvy ducem sequemur : singulas orationis periodos lineas rythmicas fere sex pedibus, ut hexameter erat antiquorum, constitutas, et in duo membra aequalia caesura quadam hephthemimere partitas esse censemus, ea lege tantum ut pes ultimus trochaeo tonico exprimi videatur. Quae norma, nisi eam certam dixerim, latius tamen aliis patet ac simplicitate commendatur. Ne multa, duo illa Gregorii carmina tantum inchoata atque rudia esse non infitior. Cuius tamen laus non mediocris fuit, ut Byzantinis poetis ad artem suam inveniendam viam muniverit.

CONCLUSIO

Nobis iam universe opera Gregoriana inspicientibus, ea primum compertum erit non versuum tantum copia, sed etiam varietate generum praestare. Reperiuntur enim poemata didactica rerum diversitate conspicua, satirica etiam, quorum forma Gregorius proprie usus est, cum fere Graecis ignota esset. Adde gnomica carmina, epigrammata, hymnos, sed in primis elegias quae numero ac varietate in maxima laude ponendae sunt. Quod si mecum cogites perpaucos ad ea conscribenda, aetate etiam senili, annos Gregorio satis fuisse, merito quaeras quot et quanta, maturiore ingenio, condidisset. Profecto eum ubertate nulli etiam ex maximis poetis concedere collegas licet.

Deinde illud ex carminibus attente consideratis efficitur, quod Nazianzenus duabus praecipue virtutibus singulariter eminet. Altera praeclarissima est mentis perspicuitas, quam, nisi cum acie ingenii perfectam omnino institutionem coniungat, nemo habere potest. Hinc primum in theologicis rebus exponendis aliquid exactum, pressum, nudum etiam, si placet, sed lucidum omnino admirari possis. Hinc, cum philosophice canit, non breviter tantum ac iuste capita summa disciplinarum antiquarum complectitur, verum, postquam partes eorum imbelles acriter ostendit, certam semper doctrinam arctisque definitionibus explicat. Immo et in affectibus sentiendis exprimendisque eiusmodi luciditatem reperias, sive ex ipsa animi commotione aut dolore enascitur. Vere enim poeta dolet ; quare etiam doleat, plane intellegit. Inde fit ut nihil incertum aut affectatum, contra aliquid sincerum, ali-

quid perspicuum ideoque altissimum sentiat. Quod si hanc virtutem quam magni pretii sit quantaeque Gregorio laudis aestimare velis, tibi quidem ego suadeam ut Nazianzenum cum recentiori quodam poeta conferas, cuius cum eo similitudo magna mihi videatur. Gregorius enim se eum esse asserit, « cui scribere natura dederit, ut aquae dedit fluere, et igni calefacere ». (P. H. C. XLI, v. 55-57). Quibus verbis recte etiam Lamartinius noster definitur, cui maxima quoque vis sentiendi fuit. Hoc tamen inter utrumque interest, quod saepius in Lamartinianis carminibus sententiae sive cogitationes desiderantur, itaque dubium aliquid et subobscurum haud semel in affectibus deprehendas. Quo quidem delectari aliqui possint, utpote quod inanibus somniis magis faveat. Sed fateor amplius me commoveri, cum vere manifesteque poeta afficitur, quod tunc mentem animumque mihi simul percellit.

Altera virtus, illa est sentiendi facultas cuius acritate et copia singulare fit ingenium Gregorianum, qua vita eius tota perfunditur, unde tanquam e fonte perenni gaudia doloresque emanarunt, sed maxime ingenii poetici optima effloruere. Sic enim primum duo diversa et inter se repugnantia, hoc est, ideas abstractas et commotiones affectusque animi iungere potuit ; res illas frigidas sive ira, sive amore, aut pietate in Deum, aut ardenti animi persuasione inflammare licuit. Igitur quam supra contemplationem metaphysicam mysticamque nominavi, eam ipse primus noveque creavit. Nisi etiam maxima teneritate praeditus, molliorque ad offensiones accipiendas fuisset, vi illa satirica forte caruisset, ex qua increpationes in Iulianum (nam soluto quoque sermone poeta fuit), carmina in Episcopos et adversus Maximum orta fuerint, quae tu acerbiora quidem dixeris, at etiam vidida, fervida, hoc est, poetica esse fatearis. Maxime vero elegiis illis varietate acritateque affectuum praeclarissimis facultas illa sentiendi quasi superfunditur, ita ut mala omnia sive humana sive propria,

animi quoque desideria, fastidia, gaudia, poetae lacrimas, gemitus, spem, querimoniasque in vicem moveant, nec alii magis similitudo illa conveniat, quae lyram illam eolicam suaviter omni vento agitatam referat.

Huc demum aliquid christianum tertio accedit, quod neque de episcopo miraberis, quanquam alii sive episcopi sive sacerdotes haud semel ea aetate vel alia multa scripsere, quibus nulla vestigia altissime religio impresserit. At cogitationes Gregorianae fide christiana penitus imbuuntur. Nec ista mentem eius tantum summo imperio regit, ut Basilio Magno, vel recentius Bossuetio evenit, verum tenerrima in Deum pietate penetratur, quam profecto a matre acceperat, sed etiam ex molli natura hauserat. Quare non recte tantum firmiterque doctrinam, at pio quoque calore, seu poetice, declarat. Quod si carmina satirica, etsi acriter vellicant, misericordiam passim et bonitatem, veniamque concessam semper fere redolent, ea religionis laus est; atque illius etiam quod nullam in elegiis veram dubitationem, nec acriores querelas neque acerbiorem atramque desperationem, at magnam denique animi serenitatem, hoc est, poeticam venustatem invenias. Quapropter, cum alii etiam poetae veteres recentioresque vi sententiarum aut affectuum conspicui merito videantur, inde praesertim singularis Gregorius fuit, ac viam novam primus ingressus est.

Neque diffitear alia, ut animi mobilitatem propensionemque ad amicitiam, etc, addi posse, quibus ingenii Nazianzeni quasi lineamenta plane exprimantur. Parvi tamen momenti sunt, quia minorem cum rebus poeticis rationem habent vel iam dictis continentur. Quidquid est, pauci tantam delectationem singularitatemque prae se ferunt.

Quonam igitur pacto a posteris carmina Gregoriana adeo neglecta fuere ut oblivione premerentur, aut paucissimos admiratores, imitatores autem nullos nanciscerentur? Quo etiam fato fons ille poesis christianae uberrimus ac purissimus

quem aperuerat, non unum quidem saeculum, sed ad nostra usque tempora fere intactus aut inexploratus permansit ? Profecto sua fata libellos habere scimus, statque pro ratione vulgi voluntas. Hic tamen res homini historiae satis perito non ita difficilis intellectu erit.

Genus enim illud versuum antiquis normis et exemplaribus conformatum ab usu iam populi ceciderat, cum etiam viveret Gregorius. Lex autem nova quae sensim usu vim naturae obtinuit, non syllabarum quantitate et pedum varietate, ut antea, fundata sed accentu erat ; sic determinatis longarum et brevium mensuris certus numerus successit, ita ut prisca metra rythmo cuidam locum cederent. Praeterea veteres dialectorum formae olim a poetis usitatae et a Gregorio accuratissime servatae, cum iam obsolescerent, ab aequalibus vix intellegebantur. Demum versus eiusmodi aegerrime modis musicis quibus plebs iam delectabatur accommodari poterant, nec apta ad canendum erant. Addit etiam Christ aliud : « Huc accessit, quod episcopus Nazianzenus id maxime suis carminibus egit, ut hominum animos ab rerum inanium studio effusaque libidine ad morum integritatem et christianae vitae severitatem revocaret ; rerum autem a Christo et apostolis gestarum memoriae pie semper a christianis recolendae, in qua celebranda poetae byzantini fere toti versabantur, suam musam non dedicavit.... Quid ? quod ne martyrum quidem casus, qui tam copiosam et commodam materiem praebebant carminibus, et a Damaso et Prudentio, aequalibus poetis latinis, praedicati tantum applausum tulerant, suis versibus referre sustinuit ». Hinc poemata Gregorii non secus ac Sophoclis aut Homeri etiam a piis viris neglegebantur. Immo nec in illa Anastasiae Ecclesia quam tantopere dilexerat, Graeci catholici unum cantum excerpsere, ut certis diebus festis modulate proferretur. Nimirum ipsa tanti doctoris reverentia poetam obscuravit, cuius carmina pauci, nisi litterati viri,

noverant, pauciores intellegere, paucissimi aestimare valebant.

Deinde, Nazianzeno defuncto, non Cappadocia tantum, sed Oriens totus variis haeresibus agitatus fuit et diversis factionum religiosarum partibus hinc et inde dissipatus. Quas inter animorum discordias et disputationum theologicarum aestus in magnum saepe discrimen, consentientibus plerumque imperatoribus, ipsa rectae fidei veritas venit. Quis vero locus, quaeso, cum res prope desperatae essent, Gregorianis metris superesse possit? Inter arma et in medio belli tumultu, primum periculis patriae propius imminentibus aut hosti irruenti occurrebatur. Orationes quidem dogmaticae etiam legebantur, quibus sibi cognomen Theologi et fidei defensoris invictissimi Gregorius pepererat, ut inde argumenta depromerentur, quibus divinitatem Verbi et Spiritus catholici demonstrarent. Carmina vero, cum minus praeliaturis utilia essent, plerique neglegebant.

Ita quidem res sese habuere tum apud Orientales, tum apud Occidentales ; ubique enim iisdem difficultatibus et angustiis fidei catholicae propugnatores detinebantur. Quo enim modo Ambrosius, Augustinus, Hieronymus aut ceteri huius aetatis doctores latini, — etiam si linguam graecam satis calluissent — Nazianzeno poetae se dedissent, cum refutandis pelagianis erroribus, aut interpretandis sacris scripturis et populorum imperatorumque libidinibus comprimendis vix sufficerent ?

Mox undique barbarae gentes, ruptis obicibus omnibus, imperii romani provincias et civitates obruere, Romam ipsam capere captamque diruere ; quibus victoribus educandis et per evangelicas disciplinas mitigandis diu sese religio christiana addixit. Res tamen toto Oriente turbatae, pestis ignorantiae late grassans, mentes armorum strepitu simul et opinionum dissidiis occupatae, imperii senio et corruptelis consumpti longa dissolutio, summa demum et irreparabilis ruina quam secuta est turpissima servitus, haec fuere causae praecipuae

cur Gregorii carmina non secus ac cetera litterarum monumenta tanta obscuritate sepulta permansere. Elapso autem longo mille annorum spatio, litterae artesque antiquae apud populos Europae quasi iterum natae sunt. Tunc vero incredibilis ardor exarsit totius antiquitatis scrutandae atque in bona luce collocandae; sed paganis scriptoribus primi illi editores tantum inhiabant. Quidquid enim homericum aut ciceronianum non erat, quidquid Iovem aut Venerem non sonabat, tanquam barbarum aliquid parvi ducebatur. Inde paulatim eo erroris aut dementiae perventum est, ut, medio saeculo septimo decimo, contionante Bossuetio, fabulas Cornelio suas scribente, tota religio christiana carminibus inepta proclamaretur. Quare vix unus aut alter antiquarum rerum amator vetustiorum poetarum christianorum memoriam retinuit mentionemque fecit.

Postea vero, ut iam indicavimus, Benedictini Maurini editionem novam operum Gregorii Nazianzeni auctiorem et accuratiorem, pro more suo, adornaverunt. Interrupta autem opera vir diligentissimus Caillavius (Caillau) suscepit, omniaque publici iuris fecit. Qui deinde rei litterariae incubuerunt, ii, excepto Villemanio (1), sive historici sive critici homines, pauca tantum de carminibus Gregorianis locuti sunt, aut iudicium nimia communiter severitate, alii aliorum vestigiis insistentes protulerunt. Quidquid est, cum propter difficultates temporum, tum propter hominum incuriam aut ignorantiam, materia adhuc fere integra erat. Neque mihi tantum sumo ut eam me totam contrivisse putem, aut poeticam indolem Gregorii omnino penetrasse, vel eam integram descripsisse glorier. Ego, pro viribus ; alius, meliora. Quae dixi satis erunt ut Gregorium, etsi non maximis omnium poetis adnumerandum censebis, iis tamen longo sed proximum intervallo esse,

(1) Vid. supra.

immo et principem inter christianos poetas illius aetatis ceterarumque etiam fortasse locum obtinere iudices, quem demum, ut alii Theologum, non immerito Gregorium Poetam ego nominaverim.

APPENDIX A

De epigrammatis epitaphiisque (1).

Muratorius pleraque epigrammata epitaphiaque ad iuvenilem aetatem remisit. Profecto Gregorius primum in Naucratium Basilii Magni fratrem scripsit a. 357, quo in fluctus demersus infeliciter obiit. Quae sequuntur, nempe post mortem Caesarii (369) aut Gorgoniae (370) aut parentum (374) aut Basilii Magni (379), quo tempore composita fuerint, satis argumentum eorum ostendit. Iuvenis etiam, si Muratorio fidem habeas, epigrammata XXVI-XXIX Nazianzenus condidit, quia nimirum venam quamdam puerilem saperent. Ceterorum vero vix operae pretium est ut tempora strictius discutiamus. Nec ego diffiteor ea fortasse utilitatem quamdam habere ad eas res planius cognoscendas, quae ad ipsum aut parentes aut illius aetatis mores pertineant. Verum, etsi eiusmodi epitaphia epigrammataque in Anthologiam graecam recepta sunt (2), tamen quia paucissima elegantiam ac concinnitatem praebent, quibus epigrammata Anthologiae praecellunt, utpote quae saepius ex tempore neglegentiusque conscripta fuerint, quia etiam parum nobis ad Gregorii ingenium perspiciendum utilia erant, superius ea in libello omisimus. Tantum aliqua de epigrammatis dicere velim, quae superstitiones quasdam antiquas et a fide christiana abhorrentes revocent. Sic epigramma LXV θεὸν ξένιον veterum, seu Iovem hospitalem invocat, cui domus et mortuorum tumuli tuendi com-

(1) Cf. Schubach, lib. 11, c. I.
(2) Anthol., c. VIII.
(3) Cf. etiam epig. LXXI, XLIV — epitaph., c. XXIX.

mittebantur. Sic etiam in epitaphio XL, Tantalum, laceratum ab avibus immortale iecur, igneum fluvium, et daemones crudelissimos memorat, fabulasques gentiles christianae doctrinae miscere merito videtur (1). Iam Gregorium ex sententia quoque gentilium loqui intellegas, si epigr. LXXVI, XCIII et LXXVI excutias, in quibus genia morte defunctorum precibus aliquo modo vocet. Demum Nazianzenum in epitaphiis VI, XI, XXX, XXXI Homerum, Hesiodum, Herodotumque sequi credideris, cum mortem Caesarii aut Euphemii diis maiori virtuti nimiaeque felicitati invidentibus tribuit.

Muratorius quidem difficiliores illos locos, incusata Gregorii iuventute, solvit. Maurini vero poetam nostrum excusant, quod neglegentius scripserit, ideoque nolens errores quosdam irrepsisse permiserit. Quorum opiniones neque omnino verae neque omnino falsae, verum conciliandae mihi videntur. Neque enim Gregorium, tantum ut iuveniliter luderet, eiusmodi epitaphia aut epigrammata condidisse putem, quia sepulchra effringendi scelus maius erat quam ut ludi materia fieret. Sed potius ego, Matth. Schubachio assentiens (2), Gregorium ea, cum ad rectissimam plenissimamque fidei intellegentiam nondum omnino pervenisset, hoc est, cum adhuc iuvenis esset, scripsisse iudicarim. Sic etiam non Gregorio inscio, ut Maurini excusant, sed Gregorio litteris fabulisque antiquis nimis adhuc imbuto, nimirum Gregorio iuveni, leviores istos errores irrepsisse dixerim. Quod verius esse censeas, si nullum ex istis poematis post. a. 380, quo tempore posteaque christiane tantum sentit, conditum fuisse mecum notes. Qua emendatione utraque opinio probari posset, nihilque laudi Gregorianae detraheretur.

(1) Cf. S. Augustini, *De Civit. Dei.* l. VIII, IX. — Eaedem fabulae haud semel in christianis epitaphiis saec. V in Italia et Gallia occurrebant. — Cf. Le Blant, *Manuel d'épigraphie chrétienne,* 1869.

(2) *Op. cit.,* p. 46.

APPENDIX B

De carminibus gnomicis

Hoc nomine carmina XXX-XXXIV (lib. I, s. 2.) praecipue designantur. Pauca igitur Gregorius scripsit, sed aliqua laude, eoque consilio, ut lucernam quamdam lucentem sententia gnomica praeberet, qua homo usus per rerum pericula recte duceretur. Igitur omnes vitae condiciones aetatesque complectitur, quas quid sit agendum vitandumve edocet. Exempla vero iam Orientales praestiterant, qui proverbia et aenigmata condere solebant; quos inter eminent Hebraei. Neque tamen illos Gregorius imitatur; Orientales enim, ut Salomon in parabolis, verborum cuidam obscuritati student, neque aliquid ironicum refugiunt. Nazianzenus vero nihil ultra sententiarum gravitatem elaborat, earumque vim in sublimitate quadam cum verborum concinnitate coniunctam collocat; in quo Graecorum consuetudinem magis sequi videtur; quorum autem nescio. Phocylides quidem et Naumachius, aliique gnomicum genus excoluere, at pauca ad nos fragmenta pervenere.

Quidquid est, etsi Gregorius primus fortasse e christianis hoc genus attigit, nullam tamen sibi singularem ex eo laudem comparavit (1).

(1) Cf. Schubach, p. 38.

APPENDIX C

De daemonologia apud Gregorium.

Ut plurimi eius aetatis scriptores (1). Gregorius daemonum, significatione christiana vocis tantum habita, naturam multis locis explicat (II, s. 1, c. 50, 54-60, 62-64, 70, 79, 80, 83). Illud tamen inter illos ipsumque interest, quod ceteri theologice seu obiective ut recentiori verbo utar, eiusmodi naturam declarant; Gregorius vero subiective, hoc est ex malis quibus daemones eum affecerunt. Atque cum SS. Patribus in multis de natura illa describenda consentit; at proprie haud semel sentit. Quare, prioribus omissis, ea paucis verbis perstringenda retinemus, quae aliquid singulare prae se ferunt, — aliquid vere poeticum intellego. — Luciferum enim tanquam ducem superbum teterrimumque sibi fingit, qui, levis in humilem terram delapsus, iratusque ob suam plagam, homines torvis oculis suspicit et a recta via deterrere conatur (I, s. I, c. VII, v. 55-67). Deinde Gregorius ducis illius tremendi exercitum recenset fusiusque describit, quasi ordine quodam dis poneretur (v. 73-79). Insuper singuli singulis vitiis dediti sunt singulisque locis commorantur. « Veniunt, cum vocantur, odere, cum in malum abducunt; nox, lux, ut capiant, vel aperte, vel ex insidiis » (80-82). Hinc initia mythologiae cuiusdam christianae — poetice dico — habeas, quae a Gregorio primum

(1) Gregorius Nyssenus,
Ephremus Syrus etiam in carminibus, t. III, c. 58.
S. Augustinus. *Civ. Dei,* l. IX. Iustinus, Irenaeus, Clemens Alex.; cf. Schubach, p. 35.

repetenda sint, si de Graecis modo loquamur. Prudentius enim apud Latinos, eadem fere aetate, pauca etiam ex daemonibus ex arte in Hamartigenia (1) descripsit. At quanquam aliqua in eo est singularitas laudauda, tamen parum pleraque illa carmina probari possunt, cum neglegentius condita fuerint, numerisque et elegantia versuum careant. Tantum unum aut alterum excipias (v. g. c. LIV, LV, l. 2, s. s.), in quibus animi fervor, aut etiam terror magna vi exprimatur.

(1) P. 406, 581, 142. Cf. *Cathem.* I, 38. *Peristeph.* I, 97, 11, 454.

APPENDIX D

Quonam studio Gregorius rerum naturam descripserit.

Quamquam Gregorius neque multas neque amplas eiusmodi descriptiones praebet, tamen non desunt loci, quibus magnum naturae rerum studium significet. Via autem eius duplex : unam scilicet in carminibus moralibus usurpat (1), cum rerum physicarum scientia utitur, quam sibi ex viris doctis physiologisque comparavit, ut similitudines imaginesque ad sententias illustrandas hauriat (I, s. 1, c. VII. 1-8, I, 2, c. IX, v. 26. — C. XXXIII, v. 105-108. I, s. 1, c. I. — I, s. 2, c. 16, v. 19. I, s. 2, c. X. passim. II, s. 2, c. IV, etc.). Quibus tantum scientiam, ingeniique subtilitatem prae se fert. Altera vero poetam magis sapit : Gregorius enim aliquando in natura rerum contemplanda immoratur, animique vicissitudines, locorum amaenitates, ferarum, avium, apumque consuetudines elegantissimis versibus depingit (2). Quo singularem profecto sese habet. Pauca enim huiusmodi descriptionis Graeci lyrici scenicive vestigia reliquerunt. Tantum e natura similitudines imaginesque desumunt, quibus sententias illustrent et quasi luminibus distinguant (3). At descriptionibus non utuntur quae sibi ipsis finis sint. Gregorius vero primus, ut opinor, inter christianos poetas versibus naturam descripsit. Versibus

(1) I, s. 2, c. I, II, XII, XV, etc. II, s. 2, IV E. Cf. Schubach, p. 31.

(2) I, s. 2, c. 14, v. 1-11, c. XV, v. 6-38. — *De vita* — procellae descriptio.

(3) Haec vestigia collegit Dr. Ios. Schlüter. *Programm des Gymnasiums zu Hadamar*, 1860-70.

autem dico; nam Basilius, Ioannes Chrysostomus ac ipse Nazianzenus in orationibus epistulisque (1) haud semel idem fecere. Poetas etiam graecos intellege; nam Ausonius, Paulinus, Prudentius apud christianos in Occidente eamdem viam secuti sint. Itaque initium naturae considerandae poeticeque depingendae — quod aetates sequentes tantopere genus excoluere — apud Gregorium invenias.

Iusuper poetis graecis et scriptoribus plenus orbis terrarum diis videbatur, quos hominibus fere similes sibi pro lubitu imaginandi facultas finxerat, et semper praesentes aut loquentes aut agentes nec semel secum pugnantes cuique adducere licebat. Gregorius vero unus ex primis poeticam illam supellectilem abiecit; cuius exemplo tibi procellae descriptio esse potest in carmine « De vita ». Immensam autem mundi machinam a Deo tantum procreatam magnifice laudat, (P. M. I, s. 2, c. I, v. 60-100, c. 85 et sqq). Nec eam fictis diis sed Numinis unici aeternique maiestate infinita refertam excogitat, cuius providentia prudentissime omnia conservat, omnia gubernat, omnia fortiter suaviterque ad finem destinatum perducit. (I, s. 1, c. v.). Neque Deus tantum ipse rebus creatis adest, verum angeli etiam voluntati suae serviunt (I, s. 1, c. XIII, v. 13-17). Igitur viam novam naturae describendae, scilicet christiane, primus ingressus est, quam postea tot poetae scriptoresque percurrere gloriose videbuntur.

(1) Cf. ep. IV, et Basil. ep. XIV.

APPENDIX E

DE PEDIBUS SOLUTIS IN SENARIIS GREGORIANIS

§ I

De tribrachis in trimetro iambico admissis

a) De tribrachis primi pedis

1° Uno vocabulo integro efformatum semel tribrachum reperias.

I, 2, c. VIII, 4 : πότερος ἀμείνων.

Saepius apud Aeschylum, Sophoclem et Euripidem (1).

2° Ex prioribus vocabuli syllabis, saepe.

I, 1, c. XVII, 12 : ἐγένετο. I, 2, c. XXXIV, 183, παράνομί'. 184 : ἀνομίαν, etc.

Non desunt eiusmodi exempla apud scenicos poetas.

3° Tribrachus bis ex duobus vocabulis constat.

II, 1, c. XLI, 43 : τὸ δ' ὑλακόμωρον. II, 2. c. VIII, 259 : ἃ βασιλέως.

Quam solutionem nunquam apud Aeschylum, interdum apud Sophoclem et Euripidem reperias.

4° Bis etiam ex tribus vocabulis.

I, 2, c. X, 308 : τί δ' ὁ χαρίεις. II, 1, c. XI, 236 : τὸ γὰρ ὁμόγνωσμον.

(1) Huiusmodi solutionum genera excusserunt : C. F. Muellerus. — (*De pedibus solutis in dialogorum senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis.* — Rumpelius : *Dissertationes in Phil.* — Christ. *Metrik*, p. 322, 2 ff. — P. Stoppel. *Quaestiones de Gregorii Nazianzeni re metrica.* Hunc secutus sum.

Haec semel apud Sophoclem (Phil., v. 601), ter apud Euripidem.

b) De tribrachis alterius pedis

1° Uno vocabulo integro :

II, 1, c. XI, 1284 : καὶ τῆς Τριάδος ὑπερφυῶς.

II, 1, c. XII, 359 : μόνον κατάθες οὐ.

Raro apud Aeschylum, Sophoclem et Euripidem.

2° Prioribus vocabuli syllabis.

I, 2, c. X, 257 : ἄρτον πριάμενος, v. 282, 903, 957.

I, 2, c. XXIV, 259 : ἢ καὶ βασιλέως etc.

Nunquam ap. Aeschylum ; exstant apud Soph. et Eurip.

3° Etiam mediis vocabuli syllabis.

I, 2, c. XXXIV, 86 : ταπεινοφροσύνη, v. 109.

II, 1, c. XI, 1193 : ἢ κηδεμονικῶς v. 1519.

Semel tantum ap. Soph ; saepius ap. Eur.

4° Duobus vocabulis.

II, 1, c. XII, 429 : ὡς σοῦ τὸ καλὸν ὕποπτον.

Qua forma apud Eur. tantum invenitur.

I, 2, c. X, 56 : ψυχῆς δὲ ἐπιδεῖν, v. 193, etc.

Saepius ita ap. tragicos.

I, 2, c. XXVIII, v. 2. πλουτοῦσι, βασιλεύουσι. II, 2, c. VIII, 253 : ἢ σεμνὸν ὄνομα.

Saepissime apud tragicos.

5° Ex tribus vocabulis — bis.

I, 2, X, 858. II, 1, XIV, 15.

Semel tantum ap. Aeschylum et Sophoclem.

c) De tribrachis tertii pedis

1° Uno vocabulo. II, 1, c. XI, 841 : δύστηνα ναυταρίδια καί.

Quo genere — nullum ap. tragicos.

II, 1, c. XI, 1730 : ἔχεις το τεχνύδριον, ἀνάδραμε.

Raro ap. tragicos.

2° Duobus vocabulis.

I, 1, c. VI, v. 3. I, 2, XXVIII, 131. I, 2, c. XXXIV, 105. et alii duodecim.

Quae solutiones non desunt apud Aeschylum, Sophoclem et Euripidem.

3° tribus vocabulis.

I, 2, c. X, 430 :ὥσπερ πόα τι ἐφ 'ὑδάτων.

Nunquam apud. Aesch. et Soph ; novies ap. Eur.

I. 2, c. X, 71 : ψυχὴ ῥέουσα κατ 'ὀλίγον. II, 1, c. XII, 458. II, 1, c. XIV, 63.

Hac forma tragici usi sunt.

d) De tribrachis quarti pedis

1° Uno vocabulo integro :

I, 2, c. X, 407 : τὸν μῦθον αἰνῶ τὸν Φρύγιον, ὅς. II, 1, c. XII, 807.

Semel ap. Aesch. (*Pers.* 332) et Sophoclem (*Oed. R.* 826) ; saepius ap. Eur.

Ex prioribus tribus syllabis vocabuli I, 1, c. X, 18. I, 2, X, 394, etc. A qua forma abhorrent tragici, excepto Euripide.

Modo ex mediis tribus. I, 1, XII, 26 — non apud tragicos.

Modo ex posterioribus tribus. I, 2, c. X, 499 — idem ap. tragicos.

2° Duobus vocabulis. I, 1, VI, 104 — rarissime ap. trag.

I, 2, X, 646. — Saepius hanc formam tragici usurpant.

II, 1, XI, 1011. — Saepissime. . . . .

I, 2, X, 348. — Nunquam . . . .

d) De tribrachis quinti et sexti pedis

II, 2, c. VIII, 266. II, 1, XII, 678. I, XXV, 188, etc.

Nihil certum de his tribrachis iudicari potest, cum anapaesti quoque haberi possint.

§ II

De dactylis in trimetro iambico admissis

a) De dactylis primi pedis

1° Uno vocabulo efficitur integro.

I, 2, VIII, 137 : ἄργυρος, c. X, 170 : ἡνίκα, v. 397, etc.

Raro ap. Aesch. et Soph ; Saepissime vero ap. Eur.

— Prioribus tribus vocabuli syllabis.

II, 1, XI, 501 : ἁπτόμενος, v. 875. πρεσβύτερον.

Permulta eiusmodi habet Euripides.

2° Ex duobus vocabulis.

I, 2, X, 202 :τοῖς περί. II, 1, XI, 1210 : μὴ μίαν...

Raro ap. Aesch. et Soph. Saepissime ap. Eur.

I, 2, VIII, 249 : ἀλλ' ἄπιτε. X, 237 : τῶν φιλοσοφούντων.

Haud semel a tragicis ita admittitur.

II, 1, XI, 161 : οὔτε τίν', 376 : οὔποτ' ἄν, 985 : γλῶςσαν' ὁ.

Hanc formam tragici reiecerunt.

3° Tribus vocabulis.

I, 2, X, 271 : ἤ τί ποτ'. 62 : εἴθ' ὁ πρύτανις, etc.

Hoc ultimum gemus a consuetudine Aesch. et Sophoclis, non autem Euripidis abhorret.

b) De daclylis tertii pedis

1° Uno vocabulo.

II, 1, XII, 518 — XI, 654 (nullum apud scenicos poetas).

2° Duobus vocabulis.

I, 2, X, 227 : κρείσσων τροφή τε σχέδιος.

vid. II, 1, XI, 321. XII, 704, etc., — ita ap. tragicos.

I, 2, X, 319. XXV, 49 — ita saepe apud tragicos.

I, 2, X, 221, 395, 510, 690, etc., quae solutio saepissime etiam a tragicis usurpatur.

3° Tribus vocabulis.

II, 1, XII, 218 : τὸ μὲν λογίζῃ, τὸ δὲ.

Saepius eam formam tragici adhibuerunt.

I, 2, X, 275. — II, 1, XI, 1763, 1199, 1457 — in quibus tragicis assentit.

c) De dactylis quinti pedis

Duobus vocabulis dactylus quinquies continetur.

I, 2, XXXIII, 94, XXXIV, 60, 194. X, 53. II, 1, XIV, 13.

Nunquam apud tragicos; saepe ap. Aristophanem.

d) De Dactylis alterius et quarti pedis.

Reperiuntur in quattuor iambicis trimetris.

I, 1, XL, 27; II, 2, VIII, 278; II, 2, VIII, 71; I, 2, XXV, 175; etiam forte II, 1, XI, 971.

Nunquam autem tragici neque comici eo usi sunt.

§ III

De anapaestis qui in trimetris iambicis reperiuntur

a) De anapaestis primi pedis.

1° Uno vocabulo integro efficitur.

I, 2, X, 251 : βασιλεῖ, 402. Ὀδυσεύς, I.

I, 2, XXXII, 16 : ἱερεῖς. XXXIV, 124 : ἔλεος.

— prioribus vocabuli syllabis.

I, 1, XXVI, 8 : ἀκάθαρτον. I, 2, X, 207 : Ἀκαδημίαι, etc.

Haec omnia tragici saepe suppeditant.

2° Duobus vocabulis.

I, 2, XXVIII, 35 : ὁ πένης.

Rarissime ap. tragicos.

I, 2, XXXIV, 39 : τὸ δ' ἀκούσιον, etc.

— tantum ap. Aristophanem.

3º Tribus vocabulis.

I, 2, XXIV, 315 : μὰ τὸν δαιμόνιον.

— tantum ap. Aristophanem.

b) De anapaestis alterius pedis.

1º Uno vocabulo integro.

I, 2, X, 230 ; VIII, 136 ; XXV, 340 ; II, XI, 407, etc.

Raro ap. tragicos, saepissime apud Aristophanem.

— prioribus vocabuli syllabis.

I, 1, VI, 43 ; I, 2, X, 48, 541 ; XXV, 324, etc., etc.

Plurima tantum apud Aristophanem.

— posterioribus vocabuli syllabis.

I, 1, XXVI, 17 ; I, 2, X, 233, 342, 638 ; XXV, 447, etc.

Ita Aristophanes.

2º Duobus vocabulis.

I, 1, 61 ; I, 2, X, 578 ; XXIV, 123 ; XXXII, 46 ; XXXVII, 5, etc.

3º Semel tribus vocabulis.

II, 1, XII, 482 : εἰ δ'οὐδὲ τὸ λουτρὸν ἐκκαθαίρει παντελῶς.

c) De anapaestis tertii pedis.

1º Uno vocabulo integro efficitur.

I, 2, X, 100 : καλοῦσι γὰρ λογικήν.

II, 1, XII, 365 : πρόεδρος ἡ κακία.

Tantum ap. Aristophanem.

2º Prioribus syllabis vocabuli.

I, 2, X, 469 ; XXXIII, 192 ; II, 1, XII, 741.

Etiam ap. Aristophanem.

— mediis vocabuli syllabis.

I, 2, VIII, 184. θεοῦ γὰρ ἀλλοτρίωσις. — II, 1, XI, 1821.

— posterioribus vocabuli syllabis, — semel, I, 2, X, 802. ἑταίραν εἰσεκάλει.

3º Anapaestuis duobus vocabulis continetur.

II, 1, XII, 806.

I, 1, XII, 24; I, 2, X, 363, etc.; XXXIV, 251; II, 1, XII, 18.

Gregorius hoc genere a comicis dissentit, qui tantum altera vel quarta sede senarii eiusmodi anapaestum admiserunt.

4° Tribus vocabulis.

I, 2. XXIV, 81, ἀρνήσεως δὲ τί χεῖρον. — II, 1, XI, 1943. II, 1, XI, 755.

Quae forma comicis improbatur.

d) De anapaestis quarti pedis.

1° Uno vocabulo integro; multi sunt eiusmodi anapaesti.

I, 1, X, 67; I, 2, VI, 58; VIII, 77-112, 180; X, 39, 211, 231, etc.

Desunt apud tragicos.

2° Primis vocabuli syllabis.

I, 1, X, 38; XVIII, 91; XXVI, 12; I, 2, VIII, 229; X, 129, 191, 498, 861, etc.

3° Postremis vocabuli syllabis efficitur.

I, 2, X, 9, 61, 204, 229, 435; XXV, 109, etc.

Euripides non abhorret ab istis anapaestis; abundant vero apud Aristophanem, cuius rationem secutus est Nazianzenus.

4° Duobus vocabulis.

a) I, 2, X, 269, 831; II, 1, XXXIX, 46; XI, 1751, etc.

b) I, 2, X, 232, 556; II, 1, XII, 89.

in quibus regulis comicorum obtemperat.

c) II, 1, XI, 368, 520; XLI, 34, etc. (ubi interpunctio pausaque violantur).

d) I, 2, X, 930, 935; XXVII, 27, it.

e) I, 2, X, 38, 328; II, 1, XI, 844, 1153, 1162; I, 2, IV, 1. II, 1, XII, 259, etc., in quibus post thesim interpunctio deest.

5° Tribus vocabulis exprimitur.

I, 2, X, 676; II, 1, XII, 640.

I, 2, X, 350.

e) De anapaestis quinti.

1° Uno vocabulo integro.

I, 2, X, 215 : ὡς ἂν μάθῃς κἀνθένδε τὴν ἀρετήν, ὅσα.
I, 2, XXI, 231.

2° Prioribus vocabulis.

I, 1, VI, 42 ; XII, 17 ; I, 2, X, 692, 942, etc.
quam formam ap. tragicos reperias.

3° Posterioribus vocabuli.

II, 1, XII, 818 ; XLVII, 9.
Saepius omnes istiusmodi anapaesti ap. Aristophanem.

4° Duobus vocabulis.

II, 1, XII, 306, 078, 784.
tales quidem anapaestos comici reiecerunt ; hos etiam :
I, 2, X, 218, 346 ; II, 1, XII, 224.
— posterioribus vocabuli syllabis et initio proximi.
I, 2, X, 256.

INDEX LIBRORUM

A. — Editionum

Billius et Morellus. 1° Paris, 1609-1611 ; 2° Paris, 1630 ; Cologne, 1690. Quibus adiungendi :

Tollius. *Carmina cygnea S. Gregorii,* a. 1696.

Muratorius. *Analecta graeca :* Padovae. a. 1709.

Clemencet. Paris, 1778, t. I.

Caillau. Paris, 1840, t. II.

Migne. *P. Gr.* XXXVII-XXXVIII. Paris, 1857-1858.

E. Dronke. *S. Gregorii Nazianzeni Carmina selecta.* Gottingae, 1840.

Christ et Paranikas. *Anthologia graeca carminum christianorum.* Lipsiae, 1871.

B. — Operum

1° P. Albert. *De Poesi Christiana, IV° p. Ch. n. saec.*, 1858.

G. Boissier. *La Fin du Paganisme,* t. II, l. IV, ch. I, II, III, 1891.

A. Puech. *Prudence.* Introduction. 1888.

2° Fessler. *Institutiones Patrologicae,* 1850-1851 ; I, 747-762.

Broglie. *L'Eglise et l'Empire au IVe siècle,* 6 vol., t. IV, ch. VI, VII, t. VI, ch. II, IV.

Benoist (Abbé). *S. Grégoire de Nazianze.* 2 vol. 1886.

Bardenhewer. O. *Patrologie.* Freiburg in B. 1894 ; p. 264-272.

Battiffol (Abbé). *Anciennes littératures chrétiennes.* 1897 ; p. 237-240.

Croiset (A. et M.). *Histoire de la littérature grecque.* E, p. 939-948.

3° Villemain. *Tableau de l'éloquence chrétienne au IVe siècle.* Paris, 1851, p. 61-63 ; 1857, p. 133-143.

Christ. *Op. cit.* Proleg. XII-XV. 1871.

Benoist. *Op. cit.* t. II, ch. LX. p. 335 et suiv. 1886.

Puech, *Prudence.* p. 162-158, 1888.

Bardenhewer. *Op. cit.* p. 267, 1894.

4° Grenier. *La Vie et les Poésies de S. Grég. de Nazianze*, 1858.
Matt. Schubach. *De B. P. Gregorii Nazianzeni Theologi carminibus commentatio patrologica*. Confluentibus, 1871.

5° C. Ullmann. *Gregorius von Nazianz der Theologe*. (De Platonismo s. Greg. p. 303, 330, 390). Darmstadt, 1825.
J. Hergenröther. *Die Lehre von der göttlichen Dreieinigkeit nach dem hl. Gregor. von Naz.* Regensburg, 1850. (adv. Ulmann, p. 11).
J. Draëseke. *Gregorios von Naz. u. sein Verhältnis zum Apollinarismus*. Theol. Studien u. Krit. Bd. LXV. s. 473-512, 1892.
J. R. Asmus. *Greg. v. Naz. u. sein Verhältnis zum Kynismus*. Theol. Studien u. Krit. Bd. LXVII. s. 314-339, 1894.
P. Stoppel. *Quaestiones de Gregorii Nazianzeni arte metrica*. 1881. Rostochii.
E. Bouvy. *Poètes et Mélodes*. Nîmes, 1886, p. 133-138.
A. Ludwich. *Nachahmer, u. Vorbilder des Dichters Gregorios v. Naz.* Rheinisches Museum f. Philolog. N. F. Bd. XLII Frankf. a. M. 1887. s. 233-238.
Krumbacher. *Geschichte der byzantinischen Litteratur*. 2e éd. 1897.
Norden. *Die antike Kuntsprosa*.1898. l. p. 562, 677 sqq.
J. G. Brambs. *Christus patiens*. Lipsiae, 1885.
A. Jahn. *Eclogae a Proclo de philosophia chaldaïca*. 1891 (1).

(1) Opera quibus usus sum hoc ordine indicavi : 1° quae de poesi christiana in genere agunt ; 2° quae de vita omnibusque D. Greg. operibus ; 3° quae de carminibus in genere vel summatim ; 4° quae de iisdem carminibus accuratius ; 5° demum quae unam aut alteram de carminibus quaestionem tractant.

ERRATA

Pag. 3 *not.* 2	*pro* Antol.	*lege* Anthol.
— 5 *lin.* 26	— Nazienzeni	— Nazianzeni
— 14 *not.* 1	— V	— C.XXXIV, v.
— 19 *lin.* 14	— exarata, sunt	— exarata sunt.
— 26 *not.* 2	— Aug. Maï	— Ang. Maï
— 29 *lin.* 14	— sucepto	— suscepto
— 30 — 15	— ἐξήτουν	— ἐζήτουν
— 31 *not.* 2	— ψαλτηρία	— ψαλτήρια
— — *lin.* 13	— Dice	— Dei
— 37 — 14	— ὀμοουσιότης	— ὁμοουσιότης.
— 41 — 23	— irreidndove	— irridendove.
— 42 — 3	— cu	— cui.
— 45 — 11	— adhue	— adhuc.
— 51 — 21	— τὴς τρυφῆς	— τῆς
— 75 — 28	— Iuterdum	— Interdum.
— 84 — 15	— ἃλλων	— ἄλλων.
— 86 — 6	— ἄσὶχετα	— ἄσχετα.
— 87 — 23	— ἀπένθητον	— ἀπένθητον.
— 88 — 19	— ἀῴ ἡλίου	— ἀφ' ἡλίου.
— 94 — 23	— σίγκρισις	— σύγκρισις
— 102 — 8	— τρίτου	— τρίτον

INDEX RERUM

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,

a. d. XIII kal. feb. ann. M D CCCCI

Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus

A. CROISET.

TYPIS MANDETUR

Academiae Parisiensis Rector

GRÉARD.

CASTRODUNI. — TYPIS SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE

CASTRODUNI

TYPIS SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE